

In Christi doloribus expendenda capita.

Quis patitur? Rerum dominus, de numine numen.
Quid patitur? Lacero corpore mille neces.
Pro quibus? Ingrata pro turba, et gente [illegible].
Cur? [illegible] eruat ut inde reos.
Quis dedit? [illegible], et morte [illegible].
Quando? Cum poterant [illegible] probare deum.
A quibus? A notis, et amico sanguine iunctis.
Quomodo? [illegible] in amore modus?

Pii erga Christum patientem affectus.

1. ADMIRATIONIS.

Quis satis hoc capiat? pro me, [illegible] vulnera [illegible]
Et potuisse Deum, nec dubitasse mori!

2. COMMISERATIONIS

Aspicio siccis oculis tua vulnera Christe,
Cum cruce, cum clavis durior ipse tuis.


EMBLEMATA IOSEPHINA
cum Eulogijs Operâ
R. P. D. CAROLI STENGELII,
Abbatis Anhuſani.



Auguſtæ Vindelicorum, Typis Veronicæ
Apergerin, viduæ. 1658.

CVm hæc emblemata S. IOSEPHI cum eulogijs à Theologis lecta, & quòd nec bonis moribus, nec fidei Catholicæ aduersentur censa fuerint vt in lucem publicam prodeant, concedimus. Augustæ 27. Oct. 1658.

GASPAR Episcopus Adramytenus Vicarius generalis.



DEDICATIO.

SANCTISSIMO DEIPARÆ VIRGINIS SPONSO, CHRISTIQVE DOMINI PVTATIVO PATRI AC VERO NVTRITIO

IOSEPHO,

F. CAROLVS STENGELIVS Abbas Anhusanus. DD.

FAMA lætissimi nominis tui, & Principatus, in quo DEVS constituit te, in vniuersos fines terræ perlata est, eò quòd ille, cuius sonus in omnem terram exiuit, Custodis quoq; sui nomen produxit à Solis ortu vsq; ad occasum; vt ab omnibus cordibus laudareris, & populi omnes coram te genua flecterent, non metu potentiæ, sed tenerrimi cordis tui amore purissimo. Sic quippe honorabitur, quemcumq; Rex æternus voluerit honorare.

Delaturus ergò tibi, vigilantissime Custos thesaurorum DEI, honorem & amorem quem purpura ardentissimæ charitatis tuæ suo jure deposcit; Ego parum felix habitator terræ Chanaan, vbi exquisitores diuitiarum huius seculi premuntur inopiâ panis, quem asseruas, magnopere incensus supplex per litteras te veneraturus accedo & mitto tibi epistolam hanc vultus tui jucundissimi desiderijs plenam, & fatigati cordis mei secretariam. Credo enim te misericordiâ prægnantis Sponsæ tuæ mores didicisse; vt sicut illa mater, ita tu sis pater misericordiæ fidelissimæ, quam requirunt, & expectant diligentes te. E captiuitate igitur meâ, innumeris gemitibus, quos producit egestas, clamo ad te, O potentissime, qui sedes cum Principibus, & solium gloriæ tenes vt ex magnitudine amoris, quo tuum cor in fornace decoræ nimis Sponsæ

*tuæ liquefactum est, eisdem oculis, quibus illa intuetur afflictos, aspicias me, & feras patienter, mollia valde præcordia tua clamoribus meis elatis commoueri. Hanc enim spem reposui in sinu meo: me tria corda super omnem opulentiam, voluptatem, & honorem amabilia ad meum desiderium flectere posse, si te semel syncero affectu cordi meo conciliauero. Suauissima enim simulq; fortissimâ dilectionis catenâ Sponsæ tuæ speciosissimæ, ac Filio eius supra cælos splendidissimo anima tua colligata est, & ex tribus factum est cor vnum, & anima vna; vt necesse sit, qui furatur te, spontaneâ amoris rapinâ, tria sole pulchriora, niue candidiora, & rubicundiora ebore antiquo simul corda furari. Hoc vno potissimùm trahor desiderio, vt rectè mihi dictum videatur, quòd sapienter etiam huius seculi licet minùs sapienter crediderunt (*Tria sunt omnia*) omnia etiam bona honesta, vtilia & delectabilia, tribus his cordibus inclusa contemplor; & quanã arte illa mihi mutuò dari possint, conor meditari. Pacem quæro, & in omnibus requiem quæsiui, hostes enim mei persequuntur me Propter quod rogo te, affer tranquillitatem sollicito cordi meo, & amabo te. Sed quæ est pax mea? Quæ est tranquillitas mea, nisi serenissimus, & pulcherrimus, & dulcissimus filius Sponsæ tuæ, cui jam dudum consecraui præcordia mea? Sed & Mater eius splendidissima, & super omnes creaturas speciosissima requies mea est? cui voui viscera mea. Non enim filium sine Matre requisiui. Non erat quippe mihi tam bonum,* hominem esse solum, *quàm cum* adiutorio simili sibi. *Hæc est portio mea Hæc est felicitas mea. Hæc est requies, tranquillitas, & pax amabilissima cordis mei. Sed hinc ducit originem labor meus, quòd cùm hæc societas sit omne refrigerium animæ meæ, careo omni refrigerio, quia longè disto ab eâ societate Propter hoc hostes mei facti sunt in capite, & inimici mei locupletati sunt. Ac ita egressus est ab animâ meâ omnis decor eius: recordatur Hierusalem dierum afflictionis suæ, & prauaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuit à diebus antiquis*

Offer igitur, dilecte valde assertor dejectæ animæ meæ, offer filio ac Matri, apud quos gratiâ vales, hæc importuna desideria, & suspiria

mea

mea. Porrige meo nomine tot ſupplices libellos, quot gemitus emitto, ſi forte Rex & Regina Hieruſalem donent mihi jura Ciuitatis ſanctæ, & exilium ciuitate permutent. Et propter domum Domini DEI noſtri, ad quam admittar, exultabit certè ſpiritus meus in DEO ſalutari meo. Et ex hoc die cor, & caro mea requieſcent in ſpe, & pro dulciſsimâ miſericordiâ, quam exſpecto, animam meam non imagine pictam, ſed eandem, quâ viuo, catenis dilectionis appenſam ex voto ſuſpendam è portis Sion, ad quam ſuſpiro, propter infinitam Regis ac Reginæ pulchritudinem. Vt verò tu, O tutiſsimum aſylum meum, ac fideliſsime expeditor negotiorum ſalutis meæ ſis mihi propitius, & patiaris me in abſcondito viſcerum tuarum habitare, ita vt claudat à foris oſtium Dominus, ne tempeſtas demergat me, ineamus fœdus dilectionis, quam cupiunt præcordia mea. Dilige me, oro te, & gere curam mei, vt ſolet Mater curam gerere filioli quem ſuis lactat vberibus. Solare me dejectum, & viſita me: Trado tibi claues cordis mei, vt pro libito ingrediaris. Sed precor, ne differas tempus. Ingredere citò, & obſeruabo ego ingreſſum tuum, vt mecum moreris in æternum. Tunc excitabitur cor meum, & reſurget à tenebris, & vmbrâ mortis; & lætabitur propinquitate, ac tactu Nutricij ſui. Quin etiam & caro humiliata reuiuiſcet, & exultabit, & jubilabit in neomenia ſua, in inſigni ſcilicet die ſolennitatis ſuæ: more populi, qui ludebat in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex, ad laudandum Dominum, quoniam bonus, quoniā in ſæculum miſericordia, & ſuper mel dulciſsima dilectio eius. Hæc bona pariet mihi, quam poſco atq; repoſco viſitatio mea. O ſuper niuem candidiſsime, & amore fœcundiſsime. Vt ergò me viſites, ſæpiùs precor dilige me, & ego ex pacto ſubijcio tibi animā, & corpus meum, potentias, & ſenſus omnes meos, cogitationes, verba, & opera mea, quibus imprimatur character IOSEPH, & imago perfectiſsima. & contra faſcinationes potentiſsima, dilectiſsimi Tutoris & amici mei. Sic quocunq; iero, tuus ero, & notatus ſigno amoris tui, ſigno inquam ſuauiſsimæ libertatis, ex toto corde meo tibi ſeruiam, & curam geram dilectionis tuæ. Et ne ſim auctor diuiſionis, quam non amat domus tua, tria corda velut vnum

colam,

colam, & amabo, & inuestigabo omnibus diebus vitæ meæ, cor videlicet tuum strictissimè vnitum cordi Sponsæ tuæ, ac Filij eius electissimi, & quoties respirabo, toties trino cordi me cum cogitationibus, verbis, & operibus meis deuouebo. Sic statuo fœdus hoc salutare nimis, & pactum firmo sine fine: in cuius rei testimonium opusculum hoc eulogia tua complectens tibi ex voto humillimè ac deuotissimè offero, dedico, ac consecro.

Quia verò scriptio finem habet, & dilectio non habet finem, quæ generat desideria tanquàm scintillas ab igne dissultantes sine fine, Epistolæ huic, quæ pro corde meo legatione fungitur, finem lassus inpono. At, vt spero, amor. & desiderium tui, O dulcissime IOSEPH, jucundissima lux oculorum meorum, & amabilissimum solatium meum non habebunt finem. Quæram enim te per noctes atq; dies solus, & in comitatu requiram te. Non cessabunt à suspirijs ossa mea, donec absoluto mortalitatis cursu videam te. Sic inter suspiria cesso, vt collectis ad interiora viribus, suauissimi IOSEPH desideria felicius crescant in silentio. Ex hac lacrymarum valle peregrinationis meæ. Anno LXXVIII.




EMBLE-

EMBLEMA I.
S. IOSEPH VIR MARIÆ.



Conjugium Sponſi ſterile eſt, fæcunda Maritæ
Virginitas, caſto non violata toro.
Debuit è cælo proles naſciq; petiq;,
Nam nil terreni Conjugium hoc habuit.


CAPVT



CAPVT I.

S. IOSEPH Patria, Genealogia, & Cognati.

I.


Nuenimus in ſcripturâ ſacrâ quatuor inſignes viros nomine IOSEPH appellatos, videlicet filium Patriarchæ Iacob à caſtitate & ſapientiâ illuſtrem, qui CHRISTVM Dominum in multis præfigurauit, Virginis DEIPARÆ Sponſum, qui CHRISTVM Dominum in mortali hac vitâ protexit ac ſuſtentauit: nobilem illum Decurionem ab Arimathiâ, qui CHRISTO mortuo in eius ſepulturâ miniſtrauit, quiq; tantâ animi fortitudine præditus fuit, vt nihil diffidens ad Pilatum ingreſſus ſit, & corpus IESV petierit, in ſepulchroq; ſuo nouo publicè ac honorificè ſepelierit, atteſtante B. Marco: *Venit*, inquit, *IOSEPH ab Arimahiâ nobilis Decurio, qui & ipſe erat expectans regnum DEI, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus IESV, &c.*

Ac denique Diſcipulum illum à juſtitiâ conſpicuum, quem cum S. Matthiâ in conſpectu Domini ſtatuerunt Apoſtoli ad ſortiendum Iudæ Apoſtolatum. Quas quidem virtutes omnes, ſiue antiqui Patriarchæ caſtitatem & ſapientiam, ſiue nobilis decurionis fidem & fortitudinem, ſiue IOSEPH Barſabæ juſtitiam, in Virginis Sponſo eminenter colluxiſſe quis ignorare poſſit? Cùm à caſtitate ac ſapientiâ, & à fide & fortitudine & à juſtitiâ omni modaq; probitate nullam non laudem, vt paſſim in Euangelio liquet, promeritus ſit? Conferri quidem hîc etiam poſſent IOSEPH frater Simonis & Iudæ, & IOSEPH cognomento Barſabas. Verùm vterq; ille non IOSEPH, ſed Ἰωσῆς, in textu Græco vocatur, vnde & minus probabiliter prior ille frater ſeu cognatus CHRISTI cum hoc IOSEPH Barſabâ confunditur, cùm inſuper ſi ijdem eſſent, B. Lucas, qui duplici nomine & vno cognomine hunc honorat, iſtum fratris Domini titulum non omiſiſſet.

II. Patria S. IOSEPHI Nazareth, quod per litteram hebraicam *Zain* scriptum sanctitatem siue sanctum significare non dubitatur: sanctitatem autem IOSEPHI quis nesciat? Atq; in hac significatione celebrabatur olim apud Iudæos secta Nazaræorum, de quorum vno legitur: *Quia Nazaræus DEI erit puer iste ab vtero.* Ac potuit quidem puer iste ab vtero Nazaræus Saluatoris perpetuam sanctitatem præfigurasse, sicut & in alijs multis figuram eius gessisse agnoscitur. Verumtamen cùm & in titulo salutiferæ Crucis, qui Romæ asseruatur, & in veterum Hebræorum commentarijs non per litteram *Zain*, sed per litteram *Tsade* cognomen illud Saluatoris scribatur: satis inde constat à communi illo Nazaræorum nomine diuersum esse neq; sanctum vt illud, sed florem significare; vnde liquet Ciuitatem Nazareth non à sanctitate, sed à flore nomen istud gessisse. Sed quomodo si à flore ciuitatula illa non modò non floret, sed adeò ignobilis esset, vt ab eá nihil boni expectaretur? *A Nazareth enim* rogabat Nathanael, *potest aliquid boni esse*?. Verùm en tibi tandem præstantissimi in eâ tres flores IESVS, MARIA, IOSEPH, non casu, sed diuinâ prouidentiâ in Ciuitate illâ Nazareth, præordinati flores bonorum omnium, flores virtutum suarum odoriferá suauitate orbem vniuersum delectantes.

III. IOSEPH Pater fuit Iacob à Dauide per Salomonem descendens, secundum Matthæum, D. Lucas verò dicit IOSEPH fuisse Heli. Antiquorum comunis responsio est Iacob & Heli fuisse fratres vterinos ex eadem Matre, sed non ex eodem Patre natos: hinc D. Ambrosius censuit eum filium naturalem Heli, legalem verò Iacobi. Sed contra fuisse filium naturalem Iacobi asserunt cæteri. Verum communior sententia nunc est, Heli apud Lucam fuisse Socerum beati IOSEPH, ipsum scilicet B. Virginis Patrem Ioachim, & IOSEPH *eius* dici tanquam generum soceri sui. Addunt proinde sententiæ huius assertores B. Lucam tradidisse naturalem genealogiam Virginis & CHRISTI, legalem verò IOSEPHI: Matthæum autem naturalem IOSEPHI, legalem verò CHRISTI: Cùm enim CHRISTI genealogia per lineam paternam à Matthæo descripta esset: Voluit Lucas quò pleniùs omniq; modò CHRISTVM & Virginem ad genus Dauid pertinere monstraret eandem genealogiam per lineam maternam, siue per progenitores B. Annæ describere: ita nimirùm vt verisimile

sit,

sit, Mathan IOSEPH & MARIÆ auum communem fuisse: Iacob autem IOSEPHI Patrem, & Ioachim Patrem Virginis fratres germanos ex eodem Patre Mathan, vt proinde geneologia vnius, censeatur genealogia alterius, nisi quod ex Ioachim per eius filiam Virginem, non autem ex Iacob & IOSEPH natus sit CHRISTVS.

IV. Porrò qui in Euangelio Fratres Domini vocantur, non fuêre IOSEPH filij ex priore aliquâ vxore, vt ex deliramentis apocryphorum somniabant nonnulli, sed consobrini Saluatoris, Mariæ liberi Materteræ Domini, quæ esse dicitur Mater Iacobi minoris & Ioseph & Iudæ. Aduertunt siquidem interpretres, Cleopham, aliter Alphæum dictum, fuisse fratrem B. IOSEPH. Et consequenter Mariam Cleophæ vxorem, quæ alibi, vocatur Maria Iacobi, minoris scilicet Mater, fuisse sororem B. Virginis per affinitatem matrimonialem, atq; adeò quatuor filios Cleophæ Iacobum, Iosephum, Simonem & Iudam vocari fratres, seu cognatos CHRISTI, quia erant filij fratris IOSEPH, qui æstimabatur Pater CHRISTI, quiq; etsi non carne, conjugij tamen copulatione, vt Augustinus loquitur, CHRISTI pater erat.

CAPVT II.

S. IOSEPHVM fabrum lignarium fuisse.

I.

IOSEPHVM fabrum fuisse, ex Euangelio constat: *Nonne hic est fabri filius?* dicebant de D. IESV. Vbi principio supponendum est: illum non ferrarium aut cæmentarium, vt graues etiam aliqui auctores opinati sunt, sed lignarium fabrum fuisse: Neq; alia vlla æquè congruenter accommodè, in quâ CHRISVS Dominus pro assumptâ suâ filiali subiectione & exemplificatione ei collaboraret ac ministraret, quàm ars lignaria. Vnde & antiquissima communiq; Ecclesiæ consensu, recepta consuetudo eum serram manu tenentem, aut ligneas tabulas tractantem depingere solet; & historia orientalis apud Gratianum, & D. Thomam cum communiore sententiâ fabrum lignarium fuisse tradunt.

II. Mirandum quidem supra modum est, D. Saluatorem nostrum fabri filium esse voluisse, vt & fabrilem cum legali patre suo artem ipse exerceret, & ad diuinitatis suæ gloriam à patre suo æterno acceptam,

& ad Regis Regum, & Domini Dominantium ſuper excelſos titulos, ſerram & ſecurim vt nutritij in terris patris ſui artis inſignia velut apponere, atq; apposita nobis oſtentare geſtiret. Nimirum egebat CHRISTVS Dominus pro nobis pauper factus, egebat & Mater eius Virgo paupercula prouido in terris nutritio: Nec patrem opulentum contra paupertatis profeſſionem & exemplum, ſed laborioſum ac induſtrium volebat Saluator, qui & Virgini eiuſq; diuinæ proli in itinere ſtabuloq; Bethlehemitico, & in Ægyptum fugientibus ibiq; commorantibus & inde regreſſis ſuâ arte commodaret, atq; de victu ac tegumento vbiq; locorum prouideret. Ad quæ quidem omnia hanc eius fabrilem eius lignariam artem maximè conueniſſe, jam paulò ante oſtendimus.

III. Hinc cùm ſatis conſtet CHRISTVM Dominum, beatamq; Virginem, B. IOSEPH miniſterio laboreq; vſq; ad CHRISTI prædicationem eguiſſe, ac tum aliam viuendi rationem, circa paupertatem præcipuè, CHRISTVM inſtituiſſe, quando & apertiùs manifeſtare cæpit, ſe non eſſe filium IOSEPH, ſed verè Deum ac hominem redemptorem noſtrum, non ex viro, ſed de ſolâ Virgine, Spiritus ſancti gratiâ obumbrante, conceptum ac natum; probabile euadit multoq; veroſimilius eſt, B. IOSEPH non ſtatim poſt Annum CHRISTI duodecimum, aut demùm poſt eius paſſionem: ſed inter baptiſmum CHRISTI & nuptias in Cana Galilææ fæliciter in Domino obijſſe, cùm etiam nec in nuptijs, nec in hiſtoriâ paſſionis, aut poſtea vſquam eius mentio fiat.

CAPVT III.

S. IOSEPHO B. V. MARIA deſponſatur: Item de Annulo eiuſdem.

I.

SAcerdotes illi Domini, qui puellarum DEO oblatarum curam habebant, cum diuinæ Virgini MARIÆ decimum quartum Annum ætatis jam ingreſſæ, è templo excedendum eſſet, hanc Virginem IOSEPHO, cuius virtutes ac merita nouerant, non caſu, aut temerè ſed communi conſilio, diuinaq; maximè operante prouidentiâ, tradiderunt. Quanta namq; quamq; ſingularia atq; eminentia virtutum

in eo

in eo conſpectam, probeq́; cognita fuiſſe oportet ſpecimina, vt ad ſelectiſſimæ huius Virginis DEI Matris futuræ auguſtiſſimum conjugium, vnus ipſe præ cæteris omnibus, Sacerdotum communi conſilio, Deiq́; ipſius infallibili judicio deligeretur.

II. Atq́; vt non temerè dicta iſta videantur; ita de his inter Græcos Theologos admodùm conſpicuus Gregorius Nyſſenus: *Cùm*, inquit, *puella creuiſſet, & adulta eſſet, Sacerdotes de eâ cogitare, ne quid de ſacro illo corpore ſtatuentes in Deum peccarent, cæperunt. Nam ſubjugare eam legi naturæ, aut addicere quaſi ſeruam, ſi quis eam in matrimonium duceret, res abſurdiſſima, minimeq́; decora videbatur. Sacrilegium enim æſtimabatur ſi homo jus ac poteſtatem in donarium quod Deo conſecratum ac dedicatum eſſet, haberet, quoniam legibus ſancitum ac conſtitutum eſt, vt vir poteſtatem habeat in vxorem. Vt autem intrà templum vnà cum Sacerdotibus mulier verſaretur & in Sanctis, neq́; conſultum neq́; vſitatum erat, & ſimul grauitas, & honeſtas rei non aderat. Deliberantibus ergò eis ſuper hac re, diuinitùs incidit conſilium, vt darent eam cuidam viro nomine deſponſationis, is autem ad cuſtodiendam virginitatem eius eſſet idoneus. Inuentus eſt igitur IOSEPH talis, qualem ratio conſilij requirebat, ex eadem cum Virgine familiâ & tribu, &c.* Hæc Nyſſenus.

III. De ætate BB. IOSEPH & Virginis Deiparæ cùm deſponſati fuerunt non planè conſentiunt ſcriptores; quanquam de ætate Virginis minor inter eos eſt diſcrepantia: quippè de quâ ferè omnes propè conſentiunt, niſi quòd Albertus Magnus apud Dionyſium Carthuſianum viginti quinq; annos vt minimum ei tribuit, & Cardinalis Caietanus ei ſubſcribens, vt minimùm nouendecim aut etiam viginti quatuor, ita poſt Albertum ratiocinans: Ætas nubilis exigit ſaltem completum motum augmenti, quia naturalis ordo habet, vt priùs perficiatur perſona, quàm detur opera ad conſeruandam ſpeciem, & dico *ſaltem*, inquit, quia ratio ſuadet, quòd natura exigit plus ætatis, videlicet vſquequo firmata ſint oſſa, ad quod quartum ſeptennium dicitur requiri in viris, quo circa ait, certum eſt B. Virginem fuiſſe tunc ad minus annorum decem & nouem, ſi mulieris tertio ſenario annorum completur augmentum, & rationabile eſt vt fuerit tunc annorum viginti quatuor, vt perfecta etiam ſecundùm oſſa mulier perfecta Mater perfectum gigneret filium. Ita auctores illi. Verùm quatuordecim aut quindecim annorum ætatem myſterio Incarnationis

 peragendo

peragendo suffecisse, neq; Sacerdotes Domini, diuinâ disponente prouidentiâ Virginis conjugium vltra distulisse, vt communiùs, ita probabiliùs alij tradunt.

IV. Circa ætatem verò B. Ioseph. longè maior notatur opinionum diuersitas, dum alij senem, alij juuenem, alij mediæ ætatis eum fuisse putauerunt. Quia si senior fuisset, quomodo ad fugam in Ægyptum, aliosq; pro CHRISTO & Virgine saluandis & sustentandis labores subeundos & superandos idoneus fuisset? Quòd verò formâ senili eum pingendi orta olim consuetudo fuerit, ex falsâ istâ atq; ex Apocryphis tantùm scriptis desumptâ opinione senex ab antiquis diceretur, quasi viduus fuerit, & liberos ex priore conjuge habuerit, qui posteà Fratres Domini dicti sint. Sed jam dudum explosa est illa opinio.

V. Notat Baronius annuli vsum in omni pactione loco arrhæ non modò apud gentiles, sed etiam apud veri DEI cultores antiquissimum esse. Ex eiusmodi igitur fluxisse videtur, vt cùm spondentur nuptiæ sponsus loco arrhæ sponsæ det annulum. Affinis est huic cerimoniæ altera junctionis dexterarum. Porrò CHRISTI nomine duabus P. & X. commixtis litteris fidelium annulos insigniri antiquitùs solitos docent annuli, qui interdùm videntur ex ruderibus effossi: Item signo Crucis, vt constat de annulo S. Macrinæ in eius vitâ apud Gregorium Nyssenum, & sanctorum aliquorum imagine, vt de Antiochenis in oratione de laudibus S. Meletij tradit S. Chrysost.

VI. In Monasterio Aquicinctino Ord. S. Benedicti in Belgio inter Duacum & Valencenas annulus vnus nomine sponsalis annuli B. Virginis asseruatur quem tamen attentâ eius magnitudine ac reliquâ formâ difficulter B. Virginis annulum crederes: cùm & duo eius nominis Annuli memorentur, vnus Perusij in templo vrbis summo in Italiâ, & alter in Semimurensi Prioratu in Burgundiâ. Est autem hic non ex cupro deaurato, vt aliqui annotarunt; sed juxta plurium aurificum eiusdemq; Monasterij religiosorum testimonium ex auro puro sed sub pallido. Neq; palæ eius effigies certò dignoscitur, quam & gemmæ illi innatum ac naturalem quidam existimant, quamquam & aliqui non ab initiô annulo isti infuisse, sed post inditam esse, credere malint. Cùm itaque tres annuli B. Virginis præfatis tribus locis ijdemq; miraculosi omnes memorentur, nihil repugnans habere potest cùm esse

possit,

possit, vt plures B. Virgo annulos habuerit, vnumq; fortè & alterum ex Matre suâ S. Anna, cuius filia erat vnica piè asseruatos.

CAPVT IV.

S. IOSEPH perplexitas.

I.

TEmporis tandem adueniente plenitudine concipit Virgo de Spiritu sancto, & eius ex tunc in matris vtero adhuc latentis tutelam auspicatur B. IOSEPH. Cùm verò Virginem prægnantem videret, & eius non ex se conceptionis indiciam manifesta aduerteret, nec de hoc mysterio diuinitùs adhuc informatus esset, *voluit occultè dimittere eam.* Siquidem nullo euidenti aut probabili indicio adulteram eam cognoscebat, maximè cum & sanctitatem eius eximiam compertam haberet, vt & superno aliquo munere eam non indignam sciret, & eius insuper in tuendo pudori famæq; conseruandæ à Deo se deputatum nosset: Iudicium suum in tantæ perplexitatis momento captiuans totum negotium diuinæ maluit prouidentiæ committere. Videbat enim pariterq; mirabatur cælestem integram eius sanctimoniam, eamq; intrepidâ semper confidente conscientiâ comparentem, nulliq; apparentis conceptus occultamento vel materialis conspectus subterfugio pudentem; neq; vtiq; in Virgine Deo plenâ luminis interni scintillæ internæq; sanctitatis solita species notari desierat: in quâ quidem eam aliquando videns Dionysius Areopagita, Deam aliquam, nisi fides obstitisset, proclamasset. Et amplius inde confirmatus præ humilitatis probitatisq; suæ magnitudine summæ sanctitatis Virginis de adulterio expostulationem vel interpellationem facere meritò refugiebat.

II. Cæterùm cur interim dilectissimo Sponso suo in tantâ perplexitatis anxietate æstuanti mysterium Virgo pijssima non aperit? aut cur eam ipse ex maritalis officij ratione non interpellat? Non vult nimirum Virgo humillima pariterq; sapientissima se ipsam DEI Matrem ne Sponso quidem suo, vti nec Elisabeth cognatæ suæ clarificare, mauultq; per ipsum mysterij auctorem tempore, modoq; ei cognito declarationem eius, cui certius, quam sibi credatur, expectare, quanquam & continuis eam in hanc ipsam Sponsi sui instructionem & consolationem precibus apud Deum incubuisse dubium esse non possit.

III. Hinc

III. Hinc ſuperexcelſa continuò, completæ eius in omni virtute juſtitiæ congrua præmia, diuinaq; ſolatia: Vt angelicâ apparitione mox fruatur ac honoretur, vt filius Dauidis ab Angelo nominetur, vt de Incarnationis filij Dei toto myſterio inſtruatur; vt Deipara Virgo Angelorum hominumq; Regina interiùs ei cõmendetur: ac deniq; vt auguſtiſſimum diuiniſſimumq; nomen IESV ei reueletur, ſuoq; tempore imponendum committatur. Sic enim, *IOSEPH Fili Dauid* (inquit apparens Angelus) *noli timere accipere MARIAM conjugem tuam; quod enim in illâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Quid his alloquijs, ſolatijs, & præmijs ſuauiùs, auguſtiùs, mirabiliùs? Cui enim Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, aut Angelorum etiam, talia vnquam dicta, vel commiſſa ſunt?



EMBLE-

EMBLEMA II.
S. IOSEPH PATER CHRISTI.



Subditur ergo infans homini Deus, atq; veretur
Nomen & imperium Conditor ipſe Patris?
Tam grandes titulos meritò, Ioſephe, tuliſti,
Virgineo renuis quòd Pater eſſe toro.

CAPVT V.

Qui S. IOSEPH habet fauentem, habet cum eo CHRISTVM & Virginem.

I.

ACcedit ad B. IOSEPH honorem particularem, quòd etsi conjugem suam vt Deiparam terræ cœliq; Reginam honoraret; ipsa tamen vicissim non ex liberâ dumtaxat voluntate, sed ex legis etiam conjugalis necessitate eum sibi, præferret eiq; juxta conjugalis Ordinis exigentiam subditam se præberet. Quem proinde non modo ipsa sibi de illo loquens præponebat: sed sacri etiam Euangelistæ, ei prænominare solent, vt ibidem legitur: *Erant Pater eius & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*

II. Neq; respondeas Virginem paulò ante ei prænominatam, cùm de Iudææ pastoribus dicitur: *Venerunt festinantes, & inuenerunt MARIAM & IOSEPH & infantem positum in Præsepio*: Quandoquidem & hîc CHRISTO vicinior positus sit, adeoq; dignitatis maritalis ordine inter MARIAM & CHRISTVM MARIÆ prænominatus. Atq; vbi quidem meliùs, vbi digniùs, vbi optabiliùs, quàm in medio IESV & MARIÆ esse aut nominari posset IOSEPH. Et si quidem, vt aiunt Philosophi, medium extrema per sui communicationem componunt, quæ non sanctissima, gratiosissima, suauissimaq; in B. IOSEPH, IESV & MARIÆ confluentia, gratiarumq; ac virtutum commixturâ? vt nihil nimirùm, non Iesuinum, nihil non Marianum in MARIÆ sponso homines vel Angeli conspicerent, qui inter IESVM & MARIAM constitutus, non nisi ex diuinâ eorum conspirante gratiâ consistebat, itaque ipsis conformis erat, vt trium vita vniformis vnaq; potiùs videretur. Ac in medio quidem positus, quò se verteret B. IOSEPH, vt vel ad Matrem pientissimam, vel ad Filium benignissimum matrisq; amantissimum respiceret, nisi tamen quòd non ipse, vt alij laborare tantoperè in hac perplexitate debebat, qui vtrumq; & Matrem coniugis, & Filium, Patris titulo jureque legitimo suum habebat. Habebat vtrumq; per gratiarum eorum, cōmunionem in se expressum, habebat vtrumq; per diuinorum eorum apud se depositum, habebat vtrumq; ad nutum conjugalem, & paternum, imò & vtrumque habebat ex conjugali

 filialiq;

filialique reuerentiâ sibi subditum. Adeò vt si quidem IOSEPH ex condignâ eius clientelâ habueris, vtrumque sine dubio matrem & filium cum eo habiturus sis. Quò enim siue in Ierusalem, siue in Nazareth sine alio non ascendit, vel descendit B. IOSEPH, quo cum eo non ascendant IESVS & MARIA?

III. Ascendit Saluator duodennis cum parentibus suis Ierosolymam referente B. Lucâ, vt si in viâ ad cælum IOSEPH & MARIAM comites habueris, habiturus sis haud dubiè & IESVM conductorem, pariterq; susceptorem. Descendit inde IESVS cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis, vt si IOSEPH & MARIAM patronos de cælo inuocaueris, ad te pariter cum eis IESVS descensurus sit.

IV. Accepit puerum & Matrem eius IOSEPH & secessit in Ægyptum. Etsi tu quoq; in ignorantiæ peccatorumq; Ægypto verseris, B. IOSEPH protinus aduoca, & per eius patrocinium descendet super te lucis æternæ irradiatio exoptata, fias lux in Domino. *Ascendit IOSEPH à Galilæâ de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familiâ Dauid: vt profiteretur cum MARIA desponsatâ sibi vxore prægnante.* Et ne dubites, quin si in hoc transmigrationis loco B. IOSEPH per veram eius imitationem, deuotamq; inuocationem secutus fueris, in domum plenæ satietatis ad Ecclesiam primitiuorum conscriptam in cælis, fæliciter sis peruenturus; vbi & in consortio IOSEPH & MARIÆ, sanctorumq; omnium tibi velut parietur IESVS in diuinitatis suæ claritate conspiciendus. Prægnans enim est etiamnum DEIPARA Virgo vt IESVM tibi cælum sic pariat materno desiderio: & IOSEPH ad puerperij istius gloriam te conducendi affectu plenus officiosissimo, vt & proinde etsi laudabilis plurimùm IOSEPH alter fuerit, quòd patris sui familiam ad opulentiæ gloriæq; suæ in Ægypti regno communionem studiosè expetierit conuitarit, præmissisq; de bonis terræ munusculis allexerit; nostri tamen Virginis Sponsi IOSEPH figura tantùm adumbratioq; in officiosâ illâ sollicitudine extiterit.

V. Ave proinde dicimus tibi IOSEPH cælorum depositarie; Virginis DEIPARÆ supra virgines omnes Sponse castissime, Saluatoris pater, protector ac nutritie studiosissime, mysteriorum DEI assessor dignissime, testisq; fidelissime, in gloriæ CHRISTI defensione Archangele zelosissime, Luciferq; noster sanctissime, Saluatoris immò

Angele,

Angele, præter quem alius nullus, custos amantissime & officiosissime, Ecclesiæ CHRISTI in eius honore & amore sacrorumq; obseruatione ac veneratione Coriphæe spectatissime, continentium conjugum, virginumq; sol lucidissime, sanctorum contemplatiuorum actiuorumq; antesignane, flos virorum, atq; inter viros benedicte, fili Dauid primogenite gloriosissime, Saluatoris in Dauidicâ regiâ stirpe consanguinee nobilissime, sanctorum Patriarcharum vertex celsissime, Apostolorum antecessor exemplarissime, Patriarchalium virtutum honor locupletissime, Prælatorum Ecclesiæ CHRISTI dux præclarissime, fidei lux, spei splendor, charitatis DEI & proximi jubar, justitiæ speculum, constantiæ ac fortitudinis exemplum, obedientiæ ac humilitatis sanctæq; deuotionis cum DEIPARA conjuge prototype, pietatisq; ac beneuolentiæ erga Saluatorem eiusq; pios cultores specimen eximium.

CAPVT VI.

B. IOSEPH cùm CHRISTO & Virgine in Ægyptum Exilium.

I.

SPeciali consideratione dignissimum est, B. IOSEPH cum CHRISTO & Virgine in Ægyptum exilium, vt & cuius, quantiq; temporis atq; itineris illud fuerit, paulò ampliùs recogitemus. Si enim exilium fuit in Christo, pro Christo, & cum Christo, quid in eo permagnâ deuotione recolendum non veniat? Cùm & Angeli ipsi eius spectatores, comites atq; admiratores exstiterint. *Quod enim à parentibus sublatus est in Ægiptum,* inquit noster S. V. Beda, *significat electos sæpiùs malorum improbitate suis effugandos exsedibus, vel etiam exilio damnandos: siquidem ipse qui suis erat precepturus. Cùm vos persecuti fuerint in vnam Ciuitatem, effugite in aliam, primus fecit quod præcepit, fugiendo hominem quasi homo in terrâ, quem stella Magis paulò ante adorandum monstrauit in cælo.*

II. Et ecce quidem ad eius quamuis pauperrimum, sed virtute sollennem ingressum corruentia pro indicio conuersionis gentium, Ægypti simulacra teste Eusebio: Hi, inquit, *qui priùs incolebant Ægyptum*

gyptum praui vitiosiq; dæmones permulta sæcula in sepulchris habitantes, animasq; Ægiptiorum omnis superstitionis errori addicentes ac subijcientes, cum sensissent nouam quandam diuinamq; virtutem ad se accessisse, illicò commoti sunt, & fluctuationem ac perturbationem in semet ipsis pertulerunt, corq; eorum & vis intelligendi intrinsecus ab ipsis conuicta sunt, cesseruntq; & fugati sunt ab eadem virtute, quæ vi effugere eos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione adducebat & tunc quidem inuisibiliter dæmones talia passi sunt, cum Saluator noster in Ægyptum cum visibili corpore peruenit. Hæc ille. *Ægyptiorum superstitio non quieuisset,* inquit S. Athanasius, *nisi Dominus omnium in corpore quasi in nube vectus eò descendisset, & idolorum errores compescuisset.*

III. De arboris cuiusdam inflexu tradit Sozomenus, & ex eo Nicephorus: Memorant arborem esse quæ Persis dicitur, Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis, cuius fructus aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est IOSEPH cum propter Herodem assumptis secum CHRISTO & MARIA sanctâ Deiparâ fugisset, atq; venisset Hermopolim, simul vt portæ appropinquauit, statim arborem licet planè maximam, aduentu CHRISTI curuatam esse, atq; ad solum vsq; se inflexisse, & CHRISTVM adorasse, atq; hæc quidem de hac arbore, sicut à multis audiui à me commemorata sunt. Quæ quidem sicut ego judico, vel significabant, jam CHRISTVM in vrbe adesse, vel vt est verisimile, non modo arborem quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem lege gentilitiâ venerabantur, dæmone qui ibi colebatur, ob CHRISTVM talium rerum euersorem, qui in eo loco comparebat, perhorescente suâ sponte commotam esse. Verùm etiam omnes Ægyptiorum statuas aduentante tum CHRISTO juxta prophetiam Isaiæ concussas. itaq; dæmone inde abacto arbor, quò rei gestæ testimonio esset, remansit ibi, fidelesq; morbis liberauit, atque vt Ægyptij, & Palæstini istarum rerum, sic alij singuli aliarum, quæ apud ipsos gestæ sunt, testes locupletes existunt. Hactenus Sozomenus.

IV. Consequenter verò præmittendum est de loco & nobili monumento habitationis CHRISTI in Ægypto, quod quidem, vt ibidem ait Baronius, traditione piorum cognitum, posteris ab his, qui religionis ergò ad loca illa peregrinati sunt, & inter alios à Burchardo, qui cæteris habetur fidelior, sic describitur: *Inter Heliopolim & Babylo-*

niam.

niam medio fermè loco est balsami hortus. Et post multa: *Rigatur*, inquit, *hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere; in quo fama est B. Virginem IESVM paruulum pluries lauisse, panniculosq́; eiusdem mundasse; cùm esset in Ægypto propter metum Herodis. Est & ibidem lapis super quem dicitur eos exsiccasse. Hæc omnia venerantur à Christianis & Saracenis. Verùm quia fons IESV paruulus est, non sufficiens irrigationi totius horti, Saraceni alium profundum foderunt puteum juxta illum, ex quo quatuor boues per rotam aquam extrahunt, sperantes ex vicinitate fontis IESV aquam alterius fontis fore virtuosam. At se deceptos animaduertentes construxerunt canalem, per quem transmittunt aquam illam in fontem IESV, vt sic ex eis junctis fæcundaretur hortus. Nec illos fefellit opinio: nunc enim sufficienter fæcundatur ex aquis sic junctis.* Hæc & alia admiranda, inquit Baronius, quæ auctor oculis contemplatus est, refert; cui & cæteri, qui eiusdem argumenti libros scripserant, adstipulantur: qui vt addunt, locum illum, in quo habitasse ferabatur S. DEIPARA, ab ipsis etiam Saracenis magnâ veneratione haberi; adeò vt ibi lampadem perpetuò ardentem in memoriam IESV illic olim habitantis conseruent, locumq́; illum ab incolis Ægyptijs Matuream nominari tradunt. Sunt autem, inquit Baronius, & alia multa de his quæ tum in itinere, tum etiam cùm manerent in Ægypto, contigisse dicuntur, quæ quoniam firmâ carent auctoritate libentiùs, silentio præterimus. Accepta autem videntur ex Apocrypho illo de infantiâ Saluatoris inscripto libello, qui ab Ecclesiâ est interdictus.

V. Porrò vt ad ea quæ initio proposita sunt, progrediamur, Angelus fuit qui de puero & Matre accipiendis, & fugiendo in Ægyptum B. IOSEPH monuit; isque haud dubiè pro muneris istius dignitate, è superioribus vnus, vel Angelorum Princeps Michaël, qui Principem Iosue olim confortauit; vel mysterij incarnationis annunciator Gabriel: quinq; pro regis sui gloriâ cum Angelorum multitudine comitatum deinceps præbuit, per quem & de regressu ex Ægypto in terram Israël monitus fuit.

VI. Et quidem B. IOSEPH nocte secessisse ex Euangelistæ testimonio certum est: sed vtrum ipsâ nocte quâ in somnis Angelus ei apparuit, an aliquâ sequente non pariter est expressum. Verùm cùm monitio Angelica dilationem nullam præ se ferret: sed instantet præciperet: IOSEPH *surge & accipe Puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum*:

gyptum: Cumq; periculi summa grauitas consideranda veniret: quis non judicauerit B. IOSEPH pro obedientiæ suæ promptitudine ipsâ horâ surrexisse, ipsaq; nocte, sine multi apparatus, qui non suppetebat, grauamine discessisse? *Qui consurgens accepit Puerum & Matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.*

VII. De viâ deinde quam sectatus sit B. IOSEPH, probabile videtur, eum recto itinere venisse Gazam, vrbem in finibus adhuc Palestinæ constitutam, eamq; Philistinorum vltimam Satrapiam: Gazâ autem Rhinocururam: Rhinocururâ autem Babylonem aut Heliopolim sex aut septem milliaribus Babylone ad latus distantem: Babylone autem aut Heliopoli Hermopolim juxta arboris inflexæ præallegatam historiam. Vnde tamen inter Babylonem & Heliopolim ad locum illum Matuream dictum reuersus fuerit.

VIII. Distat autem à Nazareth Gaza recto itinere secundùm tabulas Ptolomæi quadraginta aut circiter milliaribus horarijs: secundùm verò Adrichomium quadraginta quinq;: Gaza autem Rhinocorurâ circiter septem. Rhinocorurâ autem Babylon & Heliopolis sexaginta. Heliopoli autem Hermopolis juxta tabulas Ptolemaicas, circiter triginta septem. Vnde Hermopoli reuertens B. IOSEPH ad locum inter Babylonem & Heliopolim medium confecerit primo itinere centum octaginta sex millaria, totidemq; proinde 37. minùs in reuersione.

IX. Interim post eorum tantisper discessum auditis Herodes quæ in templo circa pueri oblationem gesta fuerant, cædem puerorum machinatur, & exequitur. Sed Deo tandem morbo grauissimo eum puniente, vitam scelestissimam cum morte pessimâ commutat.


X. Sed quamdiu post fugam Saluatoris aut cædem puerorum variant auctores: Vnde & quanti temporis exilium B. IOSEPH fuerit, non planè constat. Quidam definiunt biennalè, nonnulli triennale, plures septenne: alij sexennale: quidam vix vnius anni: vt videre est apud Baronium: Contigit autem CHRISTI reditus ex Ægypto septimâ Ianuarij juxta Martyrologium Romanum.

XI. Inter hæc porrò quis dignè recogitet quantos labores & angustias Virgo & IOSEPH perpessi sint in itinere tam longo & aspero, in exilio inter barbaros & infideles diuturno, in paupertate & prouisionis defectu. Quoties ad pedem montium, vel ad radicem arborum fatigati conquieuerint, quàm sæpè fortassis peregrinorum pau-

perum

perum more hoſpitati ſint, ac famem ſitimq́; ac his ſimilia incomoda plurima extra amicum omne ſolatium tolerarint. Verùm quantula hæc deuotio noſtra eſt, dum exilij B. IOSEPH cum CHRISTO & Virgine moras locaq́; communiora perpendimus, cùm Angeli ipſi greſſus paſſusq́; ſingulos eius contemplati ſint ac dinumerarint? Siquidem nil ei jucundiùs aut ſuauius pro diuini eius amoris magnitudine, non gelu, non æſtus, non dies integri laborioſiſſimi, non noctes inſomnes, non deniq́; triginta quibus cum Virgine vixit annorum eum grauant ærumnæ, anguſtiæ, labores, difficultatesq́; vniuerſæ, vt nec Parens aliquis quantumuis affectuoſus, qui pro conjuge aut liberis ſuis tantum præſtiterit, aut perpeſſus ſit, facilè oſtendi poſſit. Propterea *Labores manuum tuarum quia manducaſti tecumq́; adeò Mater ac Filius DEI, O IOSEPH, Beatus es, & benè ibi erit in æternum.*





CAPVT VII.

S. IOSEPH inter fabriles operas vita Religiosa.

I.

Virtutes B. IOSEPH quò propiùs in Euangelicis de ipso terminis inspiciuntur, eò plures semper maximeq; admirandæ deprehenduntur. Miramur in terra sterili pretiosum auri metallum reperiri, inter conchas arenasq; maris gemmas ipsas conformari, vbi alioqui vel minimè quærerentur. Sed cum flauescit aurum & gem̃a micat, suo scipsa in tenebris & squaloribus ipsis colore luceque inspicientibus produnt.

II. Non mirum quidem & inter aratra, secures, incudes, cæmenta forfices & ligones, interq; alia huiusmodi mechanicarum artium quotidiana exercitia virtutes ad com̃unem justitiam pietatemq; spectantes inueniri, sed ad virtutum specialiorum, vtpotè deuotionis, orationis, meditationis, aut cælestium contemplationis vitæq; sanctioris ac religiosioris spiritualiorem cultum adeò steriles ineptæq; manuales eiusmodi artes æstimari solent, vt earum professores, vel sibi impossibiles, vel à se alienas virtutes has putent. Verùm & hæ ipsæ cum cæteris præstantiores virtutes sunt, quæ inter fabrilia B. IOSEPH quotidiana opera, propriâ luce sic emicant, vt & ipsum in cælestioris huius vitæ sanctitate mirabilem ostendant & cum manualibus similibus operarijs, tum quietoris etiam vitæ cultoribus in harum virtutum exercitio negligentioribus non mediocriter oculos perstringant; vt & hoc præsertim B. IOSEPH & alia non paucorum similia exempla nullum excusationi locum eis relinquant.

III. Primùm igitur quanta fuerit semper B. IOSEPH interior animi deuotio, quantusq; & quàm religiosus spiritualis vitæ in virtutum præfatarum exercitio sensus, & affectus, ipse eius circa Saluatorem Matremq; eius, Euangelicis conformiter argumentis intima eius præsentiaq; assidua abundè docere potest. Aderat B. IOSEPH continuò præ oculis mentis & corporis sacratissima Saluatoris humanitas eiusq; sanctissima Mysteria. Eius proinde vocem audiebat, & liquefcebat ani-

EMBLEMA III.
S. IOSEPH vita Religioſa.



A Phario remeans cum Nato & Matre Canopo
Ioſephus cælum patria tecta facit.
Æthere nam toto rutilo plus igne coruſcant
In Nazarethanâ hæc ſidera trina domo.

bat anima eius, eam contuebatur, eam tangebat & ab eâ tangebatur, eius manus pedesq; contrectabat & osculabatur, ac in sinu sæpiùs confouebat, & ad tactum eius intremiscebant viscera illius, cùm & læua pueruli sub capite eius quiesceret, & dextera illius amplexaretur eum, & super his omnibus, in sanctissimis meditationibus mens eius exercebatur, miraq; deuotione replebatur. *Erat*, enim inquit Euangelista, *Pater eius & Mater mirantes super his, quæ docebantur de illo.*

IV. Quin vix natus Saluator Iudææ pastores ad sua cunabula traxit, eosq; breuissimi temporis præsentiâ tantâ deuotione affecit, vt præ animi gaudio inter se exultarent, DEOq; laudes ac grates debita. jubilarent. Magi vt eum primùm viderunt, gauisi sunt gaudio magno valde, ac vehementi deuotione perfusi, ab eo in patriam suam Sancti reuersi sunt Sanctus senex Simeon vix eum conspicere in vlnasq; suscipere cœperat, cùm præ animi deuotione ac voluptate dimitti in pace paratus fuit, immò & vehementer optauit nec mirum, cùm & Angeli ipsi (teste S. Petro) præ mirifico de mysteriorum CHRISTI Domini cognitione, gaudio in ea magis magisq; prospicere desiderent: quia viderant oculi eius salutare DEI. Duo Discipuli euntes in Emmaus; *Nonne*, inquiebant, *cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in viâ, & aperiret nobis scripturas?*

V. Verùm quàm exigua sunt hæc omnia si cum B IOSEPH deuotionis ac pietatis in DEVM argumentis conferantur? Qui propterea etiam non modò cum alijs Sanctis, pientissimis licet diuinoq; cultui deuotissimis: sed vel cum ipsâ Deiparâ Virgine, in harum virtutum exercitio comparari promeritus est? vt legimus: *Erat autem Pater eius & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Tulerunt eum in Ierusalem vt sisterent eum Domino. Ibant parentes eius per singulos annos in Ierusalem in die solemni Paschæ. Et requirebant eum inter cognatos & notos: Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Vt quos in his virtutum constantibus actibus vbiq; junctos videmus, virtutibus pariter internis animisq; ipsis non disjunctos intelligamus.

VI. Hinc sicut Virginem Deiparam, ita & B. IOSEPH, deuotioni, orationiq; addictissimum fuisse, ac nocturnis etiam horis ad orationem surgere solitum, tradit S. Chrysologus, & S. Bernardinus Senensis: *Credo*, inquit, *virum istum S. IOSEPH fuisse mundissimum in Virginitate, ardentissimum in charitate, profundissimum in humilitate,*

altissimum in contemplatione, &c. Et paulò ante: *Quomodo*, inquit, *cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tantâ vnione vniret menti tantæ Virginis aliquam animam nisi ei virtutum operatione simillimam?* Et certè si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu CHRISTI & Virginis nihil sunt, in pietate ac deuotione reliquaq; vitæ sanctitate, proficimus quantum existimandum est B. IOSEPH cum CHRISTO & Virgine profecisse?

VII. Ipsa B. Virgo de Sponso suo cum S. Brigittâ conferens; *Ipse etiam*, inquiebat, *sic mortuus erat mundo & carni, vt nihil desideraret nisi cælestia, sicq; credulus erat promissionum Dei, vt continuè diceret: vtinam viuam & videam completam voluntatem Dei. Nam rarissime venit ad congregationes hominum & eorum consilia, quia totum desiderium suum fuit obedire voluntati Dei.* Et cùm rursum de ipso testetur Virgo Deipara nullum eum vel murmurationis, vel otiosum aut non bonum Verbum protulisse, quantam vel hinc religionem eius animiq; ac vitæ puritatem æstimare nos conuenit, vt sicut nec verbo ita nec facto, vel opere malo vitam suam contaminasse probabiliter censere possimus? & eum quidem mortaliter nunquam peccasse asserit Cancellarius Parisiensis: sed à venialibus etiam à tempore saltem conjugij sui cum Deiparâ immunem fuisse inde fit improbabile: cùm neq; insuper probati desint Auctores, qui ob futuri muneris eius congruam sanctitatem eum in vtero matris non minùs quam Domini præcursorem sanctificatum existiment.

VIII. Inde totus à Deo dependens, non tantùm diebus festis, quos studiosissimè religiosissimeq; sanctificabat, cultui diuino per orationes, diuinas laudes, gratiarum actiones deuinctissimus esset: sed nec inter fabriles ipsas quotidianas operas eum negligeret. *Eram*, inquit, B. Virgo vbi supra, cùm de se, tum de Sponso loquens, *continua in oratione, rarò videri & videre volens. & egrediens rarissimè, nisi ad festa præcipua vigilijsq; & lectionibus, quæ à Sacerdotibus nostris legebantur, intenta fui habens certa tempora ad labores manuum, & discreta fui ad jeiunia, prout natura mea ferre poterat in seruitio Dei: illa verò quæ superfuerunt super victualia, dedimus pauperibus, contenti his, quæ habebamus:* Hinc & bene orantium magistrum & Patronum eum vocat S. Mater Teresia: *Qui magistrum a quo benè doceatur nancisci nequit, in magistrum accipiat gloriosum hunc sanctum, & benè orandi viam sine dubio inueniet.*

IX. Daui-

IX. Dauidem nempè in eius filio videre licebat inter medias ſollicitudinum negotiorumq; turbas media nocte ſurgentem ad confitendum nomini Domini, ſeptieſq; in die laudem dicentem, & ſuper judicia juſtitiæ ac bonitatis eius. Videre, inquam, & eum erat ſicut Deo deuotiſſimum, & à terrâ terreniſq; rebus alieniſſimum, ac Deo ſemper, in continuis licet manualibus, alijſq; laborum curarumque exercitijs maximè vnitum: Ita & ſanctiſſimum, cælo Deoq; proximum; & non tam hominem, quàm cæleſti conuerſatione Angelum: Immo hominem quidem in opere manuali pro diuinæ familiæ ſuæ neceſſitate laborioſiſſimum, ſed cæleſtibus meditationibus diuiniq; cultus ſpiritualibus ſtudijs Angelum ſanctiſſimum, ob idq; Angelorum crebris apparitionibus honoratum, vt in corpore laborioſo animus nobis Angelicus indicaretur: in fabrilibus eius manibus pedibusq; variè peregrinis ac itinerantibus calli indurabantur; ſudabat vultus eius & cogitationum cœleſtium luce, mens illuſtrabatur, totaq; in Deo circa diuinum eius cultum amoremq; occupabatur.

X. Paſcebant manus eius Saluatorem, & in Saluatore animus eius paſcebatur, & Mariæ Marthæq; incomparabilibus in eo meritis reſpondens, totq; inter micantibus gloriæ radijs ac circulis ſplendens, quot diuinorum amorum conſpirantibus actibus promerita, ei in cælo corona parabatur. O quàm eminente ergò loco inter Patris cæleſtis benedictos in regni cælorum poſſeſſione in æternum apparebit B. IOSEPH, qui pro CHRISTI ipſius victu omniq; neceſſitate circa plurima ſemper ſollicitus vixit, neq; tamen perperam diſtractus vel turbatus vnquam fuit, aut Mariæ partem optimam minùs coluit.

Et ecce porrò non modò eminens hoc B. IOSEPH ſed & aliorum Sanctorum ad iſtam eius gloriam accedentia, omneſq; inter operas corporales animi in deuotiones aut irreligioſitates confundentia pauca de multis exempla.

XI. S. Seuerus textor ita in illius artis quotidiano exercitio deuotionem, pietatem ſanctitatemq; colebat, vt columbæ tandem diuino indicio, cùm ad Eccleſiam ab opificio ſuo in artiſq; ſuæ habitu nil minùs cogitans perrexiſſet, in Epiſcopum Rauennatem electus fuerit, ipſamq; familiam ſuam exemplo ſuo ſanctam effecerit: ac eius deinde & Vincentiæ vxoris & filiæ Innocentiæ reliquiæ Moguntiam tranſlatæ. *Teſte Sigeberto*, 824.

XII. Ale-

XII. Alexander martyr ex carbonarijs operis & mineralium foedinis Comanæ Episcopus ob emicantem singularem sanctitatem à S. Gregorio Thaumaturgo constitutus. *Nyssenus in vitâ S. Greg. Thaumaturgi.*

XIII. S. Phocas martyr hortulanus erat, itaq; in isto exercitio diuinæ bonitatis considerationi amoriq; inhærebat, vt persecutores ipsos ad CHRISTI Domini exemplum benignè exciperet. *Lipom. 12. Sept.*

XIV. Et in eadem seruili licet occupatione quàm spiritualem cælestibusq; meditationibus & orationibus plenam vitam non duxit S. Paulinus Nolanus Episcopus?

XV. S. Eligius ex aurifabro pijssimo, diuinoq; cultui deuotissimo Nouiomensis Episcopus institutus est. *Sur. 1. Dec.*

XVI. S. Lambertus Hispanus agricola Martyr insignis tempore Daciani caput abscissum detulit, cecinitq; ex eâ, quam semper coluerat pietate, cælestiumq; appetitione, *Exultabunt sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus suis.*

XVII. S. Eustachius cùm in militiâ tum in villicis laboribus sanctissimus, indeq; martyrij honorem promeritus. S. Item Isidorus cum SS. Ignatio, Francisco Xauerio, Philippo Nerio, Theresiâ non pridem canonizatus agricola erat ita pietati, deuotioni diuinoq; omninò cultui deuinctus, vt dum orationi vacaret, & operi deesse putaretur, aratrum eius loco Angeli ducere visi sint. Sciunt omnes; & refert *Surius 25. Oct.* SS. Crispinum & Crispinianum, Sutoriam artem exercuisse. SS. Cosmam & Damianum Chyrurgicam; Claudium, Nicostratum & Socios tres Martyres : item S. Thiemonem Archiepiscopum & Martyrem sculptoriam. *Surius 8. Nouemb.*

XVIII. S. Drogo juxta Valencenas in Hannoniâ, & S. Ioannes de monte Petroso juxta Atrebatum in Arthesiâ opiliones fuêre tantæ pietatis ac sanctitatis, vt S. Drogone in templo vicino Missam audiente, Angelos Gregi eius aduigilare deprehensum sit.

XIX. S. Antonius, cùm in cellulâ suâ, Orationi vacaret, vocem diuinitùs missam audiuit: Antoni nec dum peruenisti ad mensuram Coriarij, qui est Alexandriæ. Ad cuius vocis monitum pergens ipse Alexandriam, diligenter Coriarium illum, vt audierat, humilitatis ac pietatis cæterarumq; affinium virtutum, non obstante quotidiano

opificio

opificio ſuo mirabilem cultorem vitæq; ſanctitate excellentem inuenit; Adeò vt poſt aliquas humilitatis eius probas profiteretur Antonius, ſe poſt multorum annorum Eremum nec dum verborum eius menſuram aſſecutum: dum nimirùm S. Ille Coriarius quotidie manè ſurgens antequam ad opificium ſe accingeret, ſalutis ſuæ maximè ſollicitus eſſet, ſeq́, inter omnes profundiſſimè humilians nihil vnquam ſe boni egiſſe, immò omnibus à minimo vſq; ad maximum ciuitatis ſuæ incolis cælum capeſcentibus, ad infernum ſe quotidie deſcendere, ex cordis ſui judicio exiſtimaret.

XX. S. Deusdedit Confeſſor apud S. Gregorium calceamenta operari ſolebat, ac inter ſutorias eas operas ita virtutem aluit, adeoq́; operibus ipſis religioſum ſe præſtitit, vt ex his, quæ ſingulis diebus laborabat, quicquid victu & veſtitu ſupereſſe potuiſſet, die ſabbato ad S. Petri Eccleſiam deferens pauperibus erogaret. Vnde contigit, ait D. Gregorius, de ipſo alterum per viſionem videre, quòd domus eius ædificabatur: ſed in ea conſtructores ſui ſolo die Sabbati videbantur operari.

XXI. De S. Guidone Andela cenſi juxta Bruxellam Patrono Surius 12. Sept. Vir venerabilis Guido in pago Brabantenſi tugurio ruſticanio & paupere domo natus & educatus eſt. Suffurabatur jam tum in ipſis primæ ætatis initijs parentum oculis certas horas, quibus ad Eccleſiam orationis causâ adiret, vel infirmis quicquid ex facultatibus ſuis habere poterat, impertiret: nec eum hilarem vlla vidit dies, quo non priùs aut in preces incubuiſſet, aut eleemoſinam præſtitiſſet.

XXII. Apud Palladium ex relatione S. Baſilij Soror quædam coqua Monaſterij Tabenneſiotarum ita muneri iſto incumbebat, vt à coquinâ nunquàm recedens tota in eo miniſterio occupata eſſet. Ac nihilominùs ab omnibus etiam licet deſpecta, vitæ religioſæ perfectionem adeò coluit, vt S. Protereo Eremitæ ſanctiſſimo Angelus apparens eam illi prætulerit, juſſeritq; vt ad Monaſterium pergens eam ex coronæ ad caput eius indicio dignoſcendam honoraret, eiuſq; ſanctitatem ſuâ maiorem declararet. Hæc enim, inquiebat illi Angelus, dum miniſterio ſuo incumbit, & contra tantum populum diebus ac noctibus pugnat, cor eius à DEO nunquam recedit: tu autem vno in loco reſidens, neq; quoquam aliquando progrediens per omnes vrbes animo & cogitatione vagaris.

XXIII. S. Spiridion vir agreſtis erat vxorem habens & liberos, atq; ita tamen res diuinas pariter obiens, vt vitæ ſanctitate ac miraculis claruerit, & Trimythuntis oppidi Cypri Epiſcopus creatus fuerit. *Hiſt. trip. p.* 3. *cap.* 10.

XXIV. B. Ioannes Agnus agriculturam exercebat, ſed ita ſimul Deo vacabat, animumq; ſuum deuotionis ac pietatis exercitijs excolebat, vt ad Epiſcopatum Leodienſem diuinitùs deſignatus fuerit. *Hiſt. Leod. Tom.* 1. *cap.* 17.

XXV. S. Zachariæ Calcearij victum iſto opificio lucrantis mira erat vitæ religio, adeò vt & miraculis Deus eum honoraret. *Rad. Virid. SS.* 17. *Nou.* Vbi etiam de Euchariſto Opilione ſanctiſſimo, qui non obſtante gregis ouilis quotidianâ gregali curâ, Ciliciũ quoq; ad animi pietatem & perpetuam conjugalem continentiam non minùs conſtanter quàm deuotè adhibuit.

XXVI. B. Alexander S. Mathildis filiæ Regis Scotiæ inſeruitio Bubulci & lacticiniorum ad Fonij clauſtrum Ord. Ciſtercienſis, vt abſconditè in CHRISTO ita & ſanctiſſimè vixit, nec diu poſt mortem inſigni miraculo à Deo honoratus fuit, *Cantiprat. l.* 2. *c.* 10. *n.* 3.

XXVII. S. Patricius Hybernico Dynaſtæ venditus & porcorum gregi ab eo præfectus à priſtinâ pietatis ac deuotionis conſuetudine in iſto ſeruilis laboris genere ſexennio toto non receſſit, ſed CHRRISTO potiùs firmiùs inhæſit: adeò vt creſcente eius ſanctitate ac meritis, Hybernorum Apoſtolus à cæleſtino ſummo Pontifice inſtitutus ſit. *In vitâ eius apud Rich. Samhurſt.*

XXVIII. S. Odbertus agricola fuit in Oſterhoult pago populoſo Diœceſis Antuerpienſis apud Bredam. *Molanus in Indicule SS. Belgij.*

XXIX. S. Menignus Fulloniam exercuit eâ mentis aſſiduâ conſeruatâ religione, vt inter artis illius operas, cùm ad flumen veſtes elueret, voce cœlitùs lapsâ ad Martyrium commoueri promeruerit, cuius & atrociſſima tormenta generoſiſſimè pertulit, donec capite plecteretur, candida columba in ſignum ſanctitatis vitæ ex ore S. Martyris in cœlum euolare viſa. *Mæn. cap.* 15.

XXX. S. Myro terram primò colens ita pariter animi deuotionem erga Deum, & propter eum erga pauperes pietatem coluit, vt fruges labore partas in eos diſtraheret, Deo viciſſim ita in eum propitio, vt copia frumenti tantò magis augeretur, quantò vir ſanctus plus eam largiebatur, *Mart. Rom.* 8. *Aug.*

XXXI,

XXXI. S. Carolomannus Caroli Martelli filius religioso suscepto habitu in monte Cassinate, Abbatis jussu pecudes pauit magnâ isto in munere sanctitate vitæ conspicuus, quamquam oues debiles ad stabulum vsq; humeris deferret, totumq; in eiusmodi operibus pro ratione officij se occuparet, *Ex annal. Cassin.*

XXXII. S. Dunstanus fabrilem in cellulâ suâ exercebat, cùm dæmoni eius sanctitatem persequenti, eiq; muliebri specie apparenti forcipibus candentibus nasum torsit. *Sur. 19. May.*

XXXIII. S. Homibonus in mercaturæ exercitio & matrimonialibus curis mirabilis erat sanctitatis. 3. *Nou.*

XXXIV. S. Ioannes à Deo, primum opilio, post miles, deinde mercator, ac tandem in hospitalarij munere sanctissimè defunctus: cuius corpus sine vllâ curâ sepultum, tamen integrum illæsumq; post Annos viginti est repertum. *Ex vitâ.*

XXXV. Atq; vt plura, ad hoc propositum non necessaria sanctorum similia exempla non proferam; ex his quoq; amplius rebus ipsis apparet veram cordis deuotionem, nullis difficultatum, timorum, perturbationum aut occupationum quarumcunq; diuersitatibus constringi, eosque deuotionis Christianæ laude indignos esse, siue reuera Deo deuotos non esse, quos ob debiti affectus feruorisque defectum, molestiarum vel negotiorum turbæ à diuino cultu suæque salutis sollicitâ curâ impediunt.

XXXVI. Ita nimirùm & liquidò constat in hoc sanctæ vitæ genere artium quarumlibet corporalium ac studiorum cultores, socios B. IOSEPH habere posse; qui vtique in medijs curis & laboribus suis *Non impediantur orare semper.* Quis dubitet, inquit noster Rupertus Abbas, has vel omnes eiusmodi artes esse Dei dona? proinde in quocunque habentur homine artes tam vtiles ac licitæ diligendæ sunt, & admonendi periti artifices, vt tanquam Dei Talentum in lucrum expendant, quia non ipsorum facultas propria, sed Dei omnia tribuentis commissum est, & ab eis, quibus tribuit, ipse exacturus est. Rogandus itaq; DEVS, vt opera manuum nostrarum dirigantur ad eum finem vt ipsi placeamus, &c.



CAPVT VIII.

Gloria S. IOSEPH ex ipsius & eum imitantium Conjugali continentiâ.

I.

CHRISTVS Virgo, Virgo MARIA, vtriusq; sexus virginitatem dedicauêre. Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici. *Multos Sanctorum nouimus,* inquit noster S. Gregorius, *cum suis conjugibus & priùs continentem vitam duxisse, & postmodùm ad S. Ecclesiæ regimina migrasse. Duobus enim modis Sancti viri à licitis abstinere solent; aliquando vt merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando verò vt anteactæ vitæ culpas detergant.*

II. Hinc porrò post primarium S. IOSEPH cum Deiparâ Virgine conjuge suâ exemplum ad has Apostolicas ac SS. Patrum commendationes atq; exhortationes, tam crebro sanctiorum personarum non communis modò status, sed & principalis, regiæ, atq; imperatoriæ dignitatis exempla præclarissima, quibus enarrandis dies anniq; deficerent.

I. Paulini cum Theresiâ conjuge suâ ;apud Augustinum epist. 12.

II. Apri cum conjuge suâ apud Paulinum à quo in hoc laudatur Epist 3.

III. Chrysanthi & Dariæ conjugum nobilium, qui non distantibus modò blanditijs, modò tormentis crudelissimis, vnà cum fide Christianâ ad quam Daria per Chrysantum conuersa fuerat, virginitatem vsq; ad Martyrij palmam sub matrimonij nomine seruauerunt, *Sur.* 25. *Octob.* quemadmodum per Chrysanthum innumerabilis virorum multitudo, sic per Dariam incredibilis fæminarum numerus ad CHRISTI gratiam concurrebat, & multæ virgines dimissis sponsis se CHRISTO dicabant: Multi item adolescentes spretis mundi delitijs ac voluptatibus superatis, castitatemq; complexi eidem CHRISTO se consecrabant

IV. Pelagius Laodicensis Episcopus, quòd primâ die nuptiarum, cum

cum ipſe juuenis juuenem ſponſam accepiſſet, atq; vt ſimul continentiam vouerent, ſuaſiſſet, eum vehementer laudat *Theodoretus l.54.c.43.*

V. Ammon Monachus, cum vxore virgine ex conſenſu ſemper virgo permanſit, ac monachiſmum amplexus eſt, teſte *Palladio hiſt. Lauſ. c.* 8. Deo etiam hanc eius continentiam probante, quòd, vt refert Athanaſius, eius animam S. Antonius in cælum ab Angelis cum ſummâ gloriâ deferri viderit.

VI. Laici cuiſdam apud Caſſianum, qui quoniam cum vxore ſuâ ex conſenſu continentiam virginalem colebat, adeò claruit, vt Dæmonem quendam ferociſſimum quem S. Ioannes Abbas expellere ab obſeſſo corpore non potuerat ſolâ ſuâ præſentiâ ipſe mox expulerit. *Collat.* 14. *cap.* 7.

VII. S. Machuriani & Maximæ vxoris, apud *Victorem l.1.perſ.Wand.*

VIII. Duobus conjugum apud Gregor. Turon. qui cùm ſemper ex conſenſu caſtè vixiſſent, & altera mortua eſſet, alter in hæc verba prorupit: gratias tibi ago omnipotens conditor, quòd hanc puellam, ſicut eam tradidiſti impollutam, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi reſtituo: Illa verò etiamſi mortua ſubridens: ſile ſile, ait, vir Dei; quia non eſt neceſſe proloqui noſtrum, nullo interrogante, ſecretum. *De glor. Conf. c.* 32.

IX. S. Henrici I. Imp. cum S. Kunegunde vxore ſuâ, qui ſimiliter, quia ex conſenſu virgines permanebant, adeò miraculis claruerunt, vt S. Kunegundis in virginitatis teſtimonium, vomerem candentem ſine læſione calcauerit. *Kranz. l.* 3. *c.* 32.

X. Marciani Imp. cum Pulcheriâ Auguſtâ. *Pulcheria ſoror Imperatoris*, inquit Nicephorus, decimum quartum annum agens, *ſupra ætatem ſapientiſſimum ac diuinum Spiritum accepit, ac primùm DEO, virginitatem deuouit. Deinde & ſorores ſuas ad idem vitæ inſtitutum educauit*, &c. Vt igitur ea quæ conſtituerat, conſignaret, ac Deum ipſum, ac Sacerdotes, omnesq; ſubditos teſtes faceret voluntatis ſuæ, ex auro gemmiſq; pretioſis admirabile quoddam donarium, & ſpectaculum omnibus pulcherrimum pro virginitate ſuâ & imperio fratris, ſacram menſam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ deſignauit, idque ipſum vt cunctis eſſet conſpicuum in fronte eiuſdem menſæ litteris aureis expreſſit. De conjugali autem eius deinde continentiâ clarè apud Baronium: *Defuncto autem Theodoſio Imp.* inquit, *voluntate S. Pulcheriæ ex*

Senatus consulto delatum est imperium Marciano. Quod enim nullum exemplum præcesserat, vt Augusta sola habenas moderaretur imperij, & ipsa, vt dictum est, virginitatem Deo vouisset, jamq; ætate grandior esset, vtpote quæ ageret annos quinquaginta & vnum, nata sub consulatu Theodori & Euthropij: salubre illud consilium inijt, vt conjugij titulo virum eueheret in Imperium ætate maturum, consilio grauem, continentiâ probatum, atq; militari virtute vbiq; spectatum: sicq; optimo Imperij regimini opportunè consuleret, vt tamen deuotæ Dei virginitatis integritati esset omninò prospectatum, haud imemor facti huius in diuinis litteris exemplum haberi commendatum, cùm sanctissima Virgo Deipara ita fuit matrimonij legibus juncta conjugi, vt nunquam desierit esse Virgo, &c.

XI. S. Eduardi Angliæ regis cum S. Edithâ reginâ, qui cum vxore, cùm virgo permansisset, multis claruit miraculis, & post annos centum à morte, omninò integer inuentus est, adeò vt ne barba quidem illi quæ prolixa & cana fuerat, decidisset. *Sur. Baron. an.* 1066.

XII. Petri Vrseoli Ducis Venetorum qui cum vxore ex consensu continenter viuens miraculis illustris fuit. *Volater. lib.* 4.

XIII. S. Catharinæ Suecæ, quæ cum viro suo virgo permansit, & miraculis claruit. Idem.

XIV. Boleslai Pudici Polonorum regis, de quo ita *Clemens Ianitius Pol.*

Conjuge consenuit cum virgine virgo maritus, &c.

XV. Alphonsi secundi Regis Castellæ, de quo similia refert *Volateranus lib.* 2. quod nimirùm ab vxore se perpetuò continuerit, ac miraculis claruerit.

XVI. S. Iuliani Antiocheni cum Basilissâ, is enim primâ nuptiarum nocte, cùm virginitatem anteà vouisset, tantam rosarum fragrantiam hyemis tempore per cubiculum in quod se cum sponsâ receperat, à Deo obtinuit, vt eâ permota Basilissa, dicente sibi suo Iuliano, hunc esse odorem munditiæ virginalis, statim consenserit virginitatem seruare, quam è lecto exiliens confestim vouit. *Sur.* 9. *Ian.*

XVII. S. Amatoris Episcopi Antisiodorensis, qui cum virginem duxisset, ei persuasit vt simul Deo virginitatem consecrarent, & illa monasterium virginum ingressa est, ille Clericus ac postea Episcopus effectus est. *Petr. de Natal. c.* 113.

XVIII. S.

XVIII. S. Elzearij comitis in Galliâ, qui cum vxore suâ Dalphinâ Massiliæ virginitatis suæ propositum conceperunt & firmarunt, ac tandem voto se obstrinxerunt. *Sur. 27. Sept.*

XIX. Presbyteri cuiusdam apud Sophronium, qui etsi à parentibus vxorem accipere compulsus, non solùm illecebrâ captus non est, quamuis juuenis existeret, & legitimè conjunctus vxori, sed ipsam induxit castè secum ac pudicè viuere, & clericus ac presbyter ordinatus est.

XX. Beatæ Elisabethæ de Wans apud Cantipratanum, quæ ex nobili Eburonum familiâ oriunda, parentibus licet eius sanctitati inuidentibus, eamq; viro militari in matrimonium dantibus, virgo tamen illibata semper permansit.

XXI. Ediltrudis Angliæ reginæ: quæ etsi tribus viris nupserit: virgo tamen permansit. *Beda.*

XXII. Godolenæ Boloniensis Martyris apud Dragonem Monachum. *Sur. 6. Iulij.*

XXIII. B. Ausberti cum Angadrisinâ apud Molanum pridie idus Octobtis.

XXIV. S. Alexij de quo omnibus notum.

XXV. S. Cæciliæ Virginis & Martyris cum Valeriano, cuius etiam, vt omnibus notum est, continentiam virginalem tanti DEVS fecit, adeoque honorauit, vt ipsâ nuptiarum nocte in eius testimonium ac custodiam, Angelicam apparitionem, cuius etiam desiderio Valerianus conuersus est, exhibere dignatus sit.

XXVI. Zachariæ Calcearij cum Mariâ vxore suâ. Eucharisti Opilionis cum Mariâ conjuge. Cononis Isaurici cum Annâ. Apenniani & Melaniæ. Vandeselli Comitis Palatini. Emerici Pannonij, Stephani Regis filij, Eghardi & Catharinæ filiæ S. Brigittæ. Olympiadis cum Nebridio, Bertillæ cum Cuthlando. Pharaildis cum Marito. Noyemburgis, Maturiani & Maximæ. Dominici à Teris, apud Rayssium ex suis auctoribus in auctario natalium Sanctorum Belgij.

XXVII. Mathildis Comitissæ, Bonifacij Marchionis filia, Welphoni Duci Welphonis Ducis filio, Vrbani Pontificis suasu, secundò nuptæ, apud Baronium ann. 1080. vbi tamen an cum præcedenti viro continenter etiam vixisset, Baronius non exprimit.

XXVIII. Mariæ Oigniacensis ad Sabim in cænobio S. Nicolai, &c.

XXIX. B.

XXIX. B. Themistagoræ, de quo Metaphrastes: *Ordinauit*, inquit, *S. Auxibius, B. Themistagoram Diaconum S. Ecclesiæ; B. vero Timo eius vxorem Diaconissam ipsius Ecclesiæ, ex quo eum acceperunt S. Baptismum se à se inuicem separarunt ex consensu, propter Regnum cælorum; & ambo de cætero tanquam fratres processerunt ad impatibilitatem.*

XXX. De Gorgoniâ sorore suâ S. Gregorius Nazianzen. *Non enim,* (inquit pudicitiam eius laudans) quia carni coniuncta erat) *idcirco à Spiritu disjuncta est, nec quia pro capite virum habebat, ideò primarium caput ignorauit, sed mundo naturæq; hactenus obsecuta, vt carnis legi vel ei potiùs qui hanc carni legem indixit, satisfaceret, totam se posteà Deo consecrauit. Quodq; præclarissimum & illustrissimum est, maritum etiam sibi asciuit, ac non herum importunum, sed bonum conseruum insuper elucrata est, &c.*

XXXI. De muliere nobili Aloysius Lipomanus in vitâ S. Francisci. *Alio quoq; tempore,* inquit, *mulier quadam nobilis Deo deuota venit ad sanctum, vt suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valdè crudelem, quem aduersarium patiebatur in seruitio CHRISTI. Et ideò petebat à sancto quatenus oraret pro illo, vt suâ Deus cor illius emollire dignaretur clementiâ; ipse verò hæc audiens ait illi: vade cum pace indubitanter expectans de viro tibi consolationem de proximo adfuturam, & adjecit: dices ei ex parte Dei & meâ, quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione accepta reuertitur mulier, inuenit virum, nunciat verbum. Cecidit super eum Spiritus sanctus. & nouum factum de veteri sic facit cum mansuetudine respondere; Domina, seruiamus Domino. & saluemus animas nostras. Suadente igitur vxore pluribus annis cælibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrauerunt*

XXXII. De S. Amalbergâ nobili, S. Aldeberti Cameracensis Episcopi & S. Gudulæ matre refert Surius quod post aliquot proles susceptas, in perpetuâ continentiâ cum viro suo Withgero vixerit. *Sur.* 10. *Iulij.*

XXXIII. S. Euphrasia cum viro suo Antigono post vnicam prolem susceptam, castitatem coluit, viuens cum eo tanquam cum fratre suo. *Sur.* 13. *Martij.*

XXXIV. De Leontio Burdegalensi Episcopo & Placidinâ eius conjuge Fortunatus:

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc Conjux, est modò chara soror.
Chara, serena, decens, solers, pia, mitis, opima.
Quæ bona cuncta gerit, quicquid honore placet.

XXXV. Tempore Theodosij magni Andronicus cum Athanasiâ vxore Antiochenses Alexandriam profecti seorsim monasticam vitam egerunt 12. annis, post quos Andronicus Ierosolymam profectus sacra loca visendi gratiâ, illuc etiam de viri profectione nihil sciens se contulit Athanasia habitu Monachi induta Quæ in virum offendens, ipsum cognouit, atq; ab eo minimè cognita est, sed pro monacho habita: simulq; Hierosolymam silentium ipsis inductum seruantes, profecti sunt; & Alexandriam redierunt. Illa Andronicum ad simul habitandum inuitauit, cui ille pro monacho semper habitæ consentiens, simul cum eâ 12. annis in eadem cellulâ habitauit, nec vnquam (tam industriè agebat id mulier & castè) scire potuit, nisi post mortem, eam esse mulierem, ne dum vxorem suam. *Ribad.* 9. Oct.

XXXVI. S. Aurelius Martyr, de quo ita Eulogius presbyter: *Quamobrem*, inquit Aurelius ad conjugem, *primò omnium munditiæ & castitati studentes, vacemus orationi, quò faciliùs ad reliqua sanctitatis opera properemus: Fiat dehinc soror, quæ hactenùs conjux fuit, & spretâ conglutinatione corporum cænosâ, nouerit mens præstantior, spreto carnis oblectamento, perpetua incolumitas producere germina, si quo modo digni reddamur martyrij præmio. Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consilium, gaudensq; multis modis in tam subitâ insperatæ salutis oblatione: hæc sunt*, inquit, *quæ semper optabam audire, videlicet vt carne morientes viuamus Spiritu, vnum pariter effecti cum illo, sicut scriptum est: qui adhæret Deo vnus Spiritus est*, &c.

XXXVII. S. Hedwigis nupsit Henrico duci Silesiæ & Poloniæ, cum quo 6. susceptis liberis, annuente Episcopo votum castitatis vterq; emisit. *Sur.* 15. *Octob.*

XXXVIII. Iacobus Martotilla cum Viennâ de Castro fuscaldi, parentes fuêre S. Francisci de Paulâ institutoris Ordinis Minimorum. Ii statim à susceptâ diuinitus prole tam illustri, pari consensu votum castitatis emiserunt, viuentes simul vt frater & soror, vnde nec aliam prolem præter dictum S. Franciscum habuerunt. *Ex vitâ Regist. l.* 5. *ep.* 49.

XXXIX. Desiderabat Agatho, apud S. Gregorium, ad continentiam

tiam seruandam in Monasterio suscipi: & ecce quantâ propensione & fauore eum Vrbico Monasterij Abbati comendet B. Gregorius: *Quisquis in diuinâ inspiratione compunctus relictis sæculi huius actionibus ad Deum conuerti festinat, ita cum charitate suscipiendus est, & blandis per omnia consolationibus refouendus, vt in eâ quam elegit Deo adiuuante, delectetur modis omnibus conuersatione persistere. Quia igitur Agatho præsentium lator in Monasterio dilectionis tuæ conuerti desiderat, hortamur vt eum omni cum dulcedine, dilectioneq; suscipias, atq; ad æternam vitam eius desiderium assiduâ adhortatione succendas, & circa animæ ipsius salutem diligenter studeas esse sollicitus, quatenus dum in Dei nostri seruitio, te admonente deuotâ mente perstiterit, & illi prosit sæculum reliquisse, & tibi eius conuersio prosit ad mercedem.* Quem tamen ita suscipiendum esse cognosce, si & vxor ipsius similiter conuerti voluerit: *nam cum vnum vtrumq; corpus coniugij copulatione sit factum, incongruum est partem conuerti, & partem in sæculo remanere.* Ita B. Gregorius.

XL. Cæterum autem, quod ante matrimonij per carnalem copulam consummationem, liceat alteri coniugum, altero etiam inuito, ad religionis statum transire, quodq; in eo casu per solenem professionem religionis, matrimonij vinculum soluatur, vt alteri in sæculo remanenti, liberum sit alias nuptias inire, perpetua est ab ipsis Apostolorum temporibus Ecclesiæ doctrina praxisque, neque talia etiam indubitata desunt exempla. Sanctam etiam Tedam ante matrimonij consummationem à S. Paulo Apostolo à nuptijs reuocatam esse, testatur Epiphanius, & S. Ambrosius.

XLI. De S. Ositha Martyre, Fritualdi Regis filiâ, & Sigeri Saxonum orientalium Regis ad parentum suorum instantiam conjuge, quod non distantibus Mariti contrarijs importunitatibus Virgo permanserit, atq; ad virginitatis custodiam securiorem, sacrum velamen ac religionis statum susceperit, refertur in eius vitâ. 7. Octobr.

XLII. S. Leobardus apud Greg. Turonensem; fœdera nuptialia dimisit, in viuisq; parentibus Monachus factus est.

XLIII. Gregoria Virgo sacra, nuptijs jam constitutis, ad Ecclesiam confugit, & sanctimonialis vitæ habitum petijt ac impetrauit. apud B. Greg. *Dial. 3. c. 14.*

XLIV. Iuueni cuidam ipso nuptialis conuiuij tempore B. Virginem eo quod ei deuotus esset, apparuisse, eumq; à nuptijs, ac triduo

post

post laudatâ eius deuotione ac virginitate, ex hac vitâ assumptum esse, refert *Cantipratanus l. 2. c. 29. p. 6.*

XLV. Nimirùm pretiosa apud Deum, adeoq; etiam Sancta probatur conjugatorum continentia, vt & eam sectari sanctum sit, & sanctos ipsa faciat, & ad sublimiora cùm in terris munia, tum in cælis præmia, suos cooptet atq; extollat. Sancti, inquam, terq; beati continentes conjuges, qui cum licitis, etiam corporis animam continuò aggrauantis voluptatibus vti potuerint, vti noluerunt, sed in ipsâ voluptatum harum licentiâ, sobrietate, jejunijs crebrique ad Deum precibus cum diuinâ gratiâ præmissis & continuatis, quo DEO sibique in Domino magis vacare possent, se ipsos juxta Dominicum consilium castrauerunt propter Regnum Dei. Neque vero vtcumque propter Regnum Dei, sed juxta continentiæ suæ inter licitas ipsas voluptates non modicum meriti incrementum, vt centupli etiam, fructusq; centesimi thesaurum in Regno Dei habeant. *O conjugium,* (inquit de sanctis Henrico Imp. & Kunegunde auctor illius temporis) *non voluptate, sed bonâ voluntate copulatum, O sanctum matrimonium, vbi vna fides inuiolata castitatis, vbi vnus Spiritus misericordiæ & veritatis: vbi idem velle in virtutibus, idem nolle in vitijs, vbi nec primus, nec alter discernere potuit, dum alter quod primus voluit: vbi par animus in multifarijs operum effectibus pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim nescio: vnum scio, quia nescit modo regio nostro tales, dum propter regnum cælorum se castrantes, nec prolem terrenæ fæcunditatis expectantes, cælibem in Deo generationem reciperent, à quorum ore laus Dei nunquam deficeret, Hæc est generatio quærentium Dominum, qui viuentes in CHRISTO, & membra sua propter CHRISTVM super terram mortificantes, modò regnantes cum CHRISTO bona Domini vident in regione viuentium.* De quo S. Imperatore Leo quoq; Ostiensis: *Ad mortem Henricus veniens, inquit, Episcopis, Abbatibus, prælentibus, Kunegundam coniugem suam propinquis tradidisse fertur, ac dixisse: recipite quam mihi tradidistis virginem vestram*

XLVI. Porrò cum S. Imperatoris huius Confessarius fuisset Frideboldus IV. Abbas Monasterij S. Vdalrici Augustæ, pijssima Imperatrix S. Kunegundis, eius obitum mox significandum decreuit per Epistolam Conuentui prædicti Monasterij, quam vt nobile antiquitatis monumentum posteritati communicare volui, hinc enim elicitur certus eius obitus dies, qui apud plerosq; Scriptores valdè dubiè annotatur.

 EPI-

EPISTOLA S. KVNEGVNDIS IMPERATRICIS, qua Conuentui *S. Vdalrici significat Obitum Suauissimi Conjugis sui Henrici II. Imperatoris Anno salutis M.XXIV. III. Idus Iulij Ætatis LII. Regni XXII. Imperij XI. pijssimè defuncti, & Bambergæ sepulti.*

VENERABILIBVS, DILECTIS IN CHRISTO PP. & FF. Monasterij SS. Vdalrici & Afræ, Kunegundis *Diâ dispensatione solo nomine Imperatrix præsentem salutem, & Regnum sempiternum.*


DE Serenissimo Domino Imperatore nostrò piæ recordationis, non sine dolore memorando pijs Paternitatibus vestris notificandum duximus, quòd cùm ad soluendum commune Mortalium debitum morbo corriperetur eo ingrauescente, vocatis ad se Episcopis, Abbatibus, quibuscunq; Religiosis Viris, in breui ad extrema perductus est. Tunc verò quàm sanctè, quàm deuotè, quàm Catholicè primò Fidei, dehinc peccatorum suorum confessionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu peregrinationis viaticum, ac vitæ æternæ pignus, Corpus scilicet Redemptoris Domini nostri acceperit, quàm fideliter corpus suum & animam suam hîc & in æternum ipsi commendârit, ex dilecto nostro Frideboldo Abbate vestro intelligetis, qui agonizanti fideliter astabat. Ceterùm graues anxietates & amaritudines, quibus animus

animus noſter afflictus fuit, non parùm Sereniſſimus Conjux noſter felicis recordationis à nobis ſubleuauit, dum Nos humano more obitum ipſius deflentes eiuſmodi verbis pleniùs conſolabatur. Nolite, aiebat, dilectiſſima Conjux ſuper Nos flere, quin potiùs exultando gaudere, quòd Dei miſericordia præſtitit Nos in eius occurſum, ſicut videtis, præparaſſe. Hoc itaq; fine III. Idus Iulij dies ſuos conſummauit, & ad DEVM ſuum, quem in vitâ ſuâ ſemper aſpirabat, feliciter, vt ſanctè ſperamus, tranſiuit. Nolite ergò, dilectiſſimi Patres, Seniorem Patrem Mæcenatem veſtrum abijcere à Religioſis cordibus veſtris, qui vos vnicè viuus dilexit, & proptereà locum veſtrum regiâ ſuâ liberalitate florere voluit, & curauit. Sed quàm primùm ei juſta perſoluite, vt DEVS det ei pacem, qui pacem ſemper dilexit, noſtræq; neceſſitatis in Sacrificio Miſſæ memores eſtote, multùm namq; valere apud ſupremum Iudicem aſſiduam depretationem juſtorum nos ſacræ litteræ edocent. Valete.

Ex MS. codice peruetuſto S. Vdalrici.

XLVII. Cæterum ſi tam probata & commendata, tamque frequens poſt S. IOSEPH ac DEIPARAM coniugem eius ex omni hominum gradu ac ſtatu continentia coniugum copia eſt; quanta vel hinc quoque quàm multiplex eorum tanquam horum omnium Ducum ac Principum gloria? Dum Deiparam Virginem fæminarum, B. IOSEPH verò virorum; immò vtrumque ſine diuiſione, generoſi iſti

sodalitum totam numerosi greges si non assequuntur, imitantur tamen ac siue perpetuâ, siue etiam de cætero constante continentia sequi contendunt. Nimirum adducentur quoque post S. IOSEPH Virgines, continentesque Coniuges, Comites, Duces, Principes, Reges, Imperatores atque in eius imitatione, discipulatu ac clientelâ proximi eius offerentur Regi Domino in lætitiâ & exultatione sequuntur eum Reges ac Reginæ eique, vel à longè adstare gaudent, celeberrimi potentissimi, gloriosissimique Monarchæ ac Principes terræ.



EMBLE-

EMBLEMA IV.

S. IOSEPH obitus,



Dum pius amplexus, dum diuidis vltima, Ioſeph,
  Oſcula; dum reddunt Sponſa Puerq; tibi:
Dic, inter ſic aſtra mices cœleſtia, vita
  Qualis erat, cùm tam dulce in amore mori eſt?

CAPVT

CAPVT IX.

S. IOSEPH Obitus, & B. Virginis planctus & mæror ſuper eo.

I.

DE obitu quidem eius nihil Euangelium expreſſit, ſed, ſi talis mors, qualis vita, ſi pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius; &, beati qui in Domino moriuntur: quam ſancti ſanctorum cuſtodis ac nutritij pretioſa mors. Qui & in Domino, & præſente Domino, Deiparaq; Virgine ſuâ ſanctiſſimâ Conjuge, defunctus eſt. Fuiſſe defunctum ante CHRISTI paſſionem tradit S Epiphanius & Oecumenius. Nam alioqui neq; S. Ioanni Apoſtolo, ſed B. IOSEPH, ſi ſuperſtes fuiſſet, Matrem ſuam CHRISTVS Dominus morti vicinus commendaſſet, aut vt conjugem ſatis ipſi commendatam ſuppoſuiſſet.

II. Veró ſimilius autem eſt, B. IOSEPH non ſtatim poſt annum CHRISTI duodecimum, aut demùm poſt eius paſſionem: ſed inter baptiſmum CHRISTI, & nuptias in Canâ Galilææ feliciter in Domino obijſſe, cùm etiam nec in nuptijs, nec in hiſtoriâ paſſionis, aut poſtea vſquam eius mentio fiat. Satis autem conſtat CHRISTVM Dominum beatamque Virginem B. IOSEPH Miniſterio laboreque vſque ad CHRISTI prædicationem eguiſſe, ac tum aliam viuendi rationem, circa paupertatem præcipuè CHRISTVM inſtituiſſe, quandò & apertiùs manifeſtare cæpit, ſe non eſſe filium IOSEPH. ſed verum Deum ac hominem redemptorem noſtrum non ex viro, ſed de ſolâ Virgine, Spiritus ſancti gratiâ obumbrante, conceptum ac natum.

III. Poſteà in obitu S. IOSEPH dilectiſſimi, & caſtiſſimi Sponſi ſui grauiſſimè dolebat ac triſtabatur, cùm & conjugij, inconſummati licet ac Virginei, amorisq; diuinioris vinculo vna velut perſona eſſent IOSEPH & MARIA, quandoquidem & in matrimonio inconſumato vir poteſtatem ſui corporis non habeat, ſed mulier; & è contra vt proindè & in conjugio quoq; inconſummato conjugis vnius caro ſit jure coniugij caro alteriùs, adeoq; amborum conjugum eodem jure caro vna: propterea inquam, in Sponſi ſui dilectiſſimi ſublatione Virgo mæſtiſſima ingemiſcebat atq; ita dum beati IOSEPH anima ſanctiſ-

ſima morte ſublata eſt, mutuum pariter corporum eorum jus dominiumque conſenſu mutuo initum diſſoluebatur, & caro à carne, coniunx à conjuge ſeparabatur: Vnde & grauiſſimus eius luctus, ac in eo quidem etiam beatiſſimi Sponſi ſui honos maximus.

IV. Quare dolore mæroreq; ſummo perfuſa: Suſtulit mors improba, inquiebat, protectorem, nutritium, ducem, cuſtodem; Virginitatis meæ teſtem & aſſertorem, vmbraculum, honorem & coronam meam, conjugem, vnicumq; poſt filium ſolatium meum: ſine quo & adulterij iniurioſam calumniam, & mortis etiam legalem pænam ipſam innocens incurriſſem, cui & ipſam centies debeo vitam meam: qui me protegens ſe negligebat, mihi pacens ſe impendebat, ac ſuperimpendebat, me fouens, æſtus, imbres, frigora,, ſitim, famemq; cæteraſq; incom̃oditates ac labores omnes, vt in nullo ſi fieri potuiſſet, incommodarer, ſuſcipiebat. Totus meus ipſe, meuſq; potiùs quàm ſuus erat. Non jure tantùm meus, ſed & eius meoque in diuiſo affectu ſemper meus: meus jure, meus in affectu, meus ſtudioſiſſimo quouis obſequio, meus mihi, meus inter omnia mea, dempto filio meo, mihi commendatiſſimus, chariſſimus, intimus: neque à me tam diuerſus, quàm mecum ſemper vnus, qui vt Virgineo cæleſtiq; puriſſimo ita & arctiſſimo conjugalis amoris vinculo, ſpretis omnibus, vna amborum Virgineâ conjugali integritate, vnoq; Spiritu, mihi ſemper adhærebat. Meus, in omni vitæ ratione mihi ſimillimus, ad omneſq; vſus & neceſſitates meas filijq; mei, mihi aptiſſimus ac proprijſſimus. Meus mihi cum filio meo totus, mihiq; omnimodè magis meus, quàm ſibi ipſi ſuus; im̃o præ noſtri curâ & ſollicitudine non ſuus, ſed totus ſemper noſter. Meus diuinâ ab æterno præordinatione: Meus in coniugio temporali diuinâ impertitione: Meus per totos triginta annos indiuiduâ Angelicâ vitæ ſocietate, nec vllâ vnquam vel minimâ diſiunctione alienus: Meus inter vnica duo mea mihi vnus. Dilectus enim meus mihi, filius meus, qui paſcitur inter lilia: dilectus & meus mihi ſponſus meus, in cuius & meo Virgineo ſingulari candore paſtus deliciatusque eſt filius meus. Fæcundæ Virginitatis meæ fructus, dilectus meus mihi filius meus: eius verò meumque poſt Spiritum ſanctum, eius vice vmbraculum Sponſus meus.

V. Ac ne furto quidem vel clanculum, ſed velut rapinâ, me præſente, à morte immiſericorde inflexibilique, mihi Sponſus meus ſublatus eſt,

tus est, vt mortis eius funerisque eius administra esse debuerim, qui solatiorum meorum, vitæque ipsius mihi administer semper fuit. Eum dolentem, agonizantem, expirantem videre, eiusque oculos claudere me oportuit, qui me semper, consolatus est, animauit, recreauit, gaudium, leuamen, fulcimentum, lumen ipsum oculorum meorum.

VI. Sublatus est Sponsus meus mihi, quando & passionis filij mei tempestates, fulmina, tonitrua, horribilesque tribulationum omnium inundationes, eo vel maximè indigebam, vt quod deinceps, filio meo captiuato crucique alligato, refugium mihi futurum sit, non videam.

VII. *Lampades eius lampades ignis atq; flammarum*: aquæ multæ *non potuerunt extinguere charitatem eius, nec flumina obruerunt illam.* Non enim vteri mei apparentia: non Herodis persecutio sæuissima, non in Ægyptum fuga molestissima, non exilium durissimũ, non Archelai in reuersione nostra metus grauissimus, non Iudæorum irrisiones & calumniæ: non fames, non sitis vlla per Ægypti deserta, non ab hospitio in Betthleem ciuitate nostrâ exclusio, non labores, non sudores, non sollicitudo continua, neq; mortis ipsius vlla pericula, vel angustiæ vllæ quantumuis grauissimæ, charitatem eius vel imminuere vnquam potuerunt.

VIII. Quis enim alius in terris suscepit nos? Quis alius protexit nos? Quis alius nutriuit, vestiuit, conduxit, saluauit nos? Vidi autem post vniuersa hæc plusquam conjugalia paternaq; officia, dolores eius incurabiles, & percussa sum, vidi mortis mucronem, & vulnerata sum, ac tandem sponso meo viduata sum. Vnico tamen me recreante solatio, quòd non sibi, sed mihi soli sponsus meus sublatus sit: tulerunt eum custodes animarum & corporum. Astiterunt ægro, morientiq; Angeli Dei, qui & viuenti crebris apparitionibus familiares ei fuerant: mortem, funus, sepulturamq; eius præsentiâ ac ministerio suo honorarunt, & cùm animam eius sanctissimam ad SS. Patrum, requie speq; beatum consortium susceperunt: non eum vtiq; ipsi, sed mihi soli sustulerunt. Susceperunt eum in locum quietis, certæq; spei beatitudinis Angeli Dei, ad quorum monitum nocte consurgens Dominum eorum matremq; eius in Ægyptum à facie furentis Herodis nos curans, se negligens contulerat. Tulerunt eum Angeli custodes, non vnus, sed plures, qui Angelus noster custos totâ vitâ suâ in omnibus & vbiq; fuit, demumq; die Ascensionis filij mei, in cælum eum assumpserunt,

IX. Verumtamen & in ministris suis Angelis, & in matre sua diuinitatis suæ specialioribus præsentiæ fauoribus, CHRISTVM ei adfuisse, vt beatissimè in Domino moreretur, neq; ex CHRISTI corporali absentiâ quidquam ei gratiæ decederet, dubium non est. Solabantur vehementer hæc omnia circa morientem sponsum suum mæstam Virginem diuini fauoris beneficia, ad quæ etiam, juxta diuinum decretum totam se referebat. Dolebat equidem vehementer gratissima, officiosissima, pijssimaq; Virgo, pedes illos, vlnas illas, sinum illum, qui Dei filium post vteri sui thalamum virgineum bajularant, nutrierant, paterneq; confouerant, sub terrâ delitescere. Dolebat vehementer oculos illos pissimos, qui eis prospexerant, proq; eorum quibusuis necessitatibus insomnes plurimum fuerant, sub puluere extinctos. Dolebat deniq; sponsi sui Corpus sanctissimum laboribus, sudoribusq; pro eis perpetuò prægrauatum, quòdq; in eorum seruitio, vitæ Angelicæ organum dignissimum fuerat, exanime diutiùs permanere.

X. Passo verò ac resurgente CHRISTO: *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* A quorum numero non est, cur B. IOSEPH excludamus: immò cùm animæ, tùm corporis eius iminens integritas ac sanctitas, tùm in CHRISTVM Matremq; eius singularia merita, tùm Saluatoris in nutritium filialis pietas, Virginisq; gloriæ eius conjugalis affectus ac desiderium id de illo potiùs, quàm de Sanctorum vllo alio, facilè persuadet. Illos autem non ad mortalem, sed ad immortalem vitam cum CHRISTO resurrexisse, vt communior, ita sacro textui conformior est sensus; nam nec communiter cum alijs conuersati fuisse aut conuixisse dicuntur, sed multis tantùm, vt de CHRISTO etiam legitur, apparuisse. Ac insuper extrà communiorem CHRISTO resurgente præstitam hîc gratiam, particularius tale priuilegium prædictis eius meritis satis congruebat. Vt non mirum proinde sit quòd Corporis aut Reliquiarum corporis eius nullum in terris supersit vestigium, cùm alioqui nec S. Præcursoris, nec B. Annæ, neq; Apostolorum in honoratas reliquias Deus voluerit.

EMBLE-

EMBLEMA V.
S. IOSEPHI PATROCINIVM.



Quam Parcæ, quam fata premunt, huc curre caterua,
IOSEPHI auxilium dextra patrona feret.
Ne dubites; olim mundi tulit illa Salutem,
Hâc dabitur mundo nunc quoq; certa Salus.

CAPVT X.

Tituli honorum S. IOSEPH.

I.

MIrari solent pleriq; tam pauca de S. IOSEPH, vti & de Virgine DEIPARA eius Conjuge, Euangelicam historiam retulisse, vtpote natiuitatis, vitæ, dignitatis, gloriæq; eius, obiter admodum, aut condignâ saltem aliquâ vix vt apparet, factâ mentione. Verùm, rē propiùs perspectâ mirandum jure potiùs videtur, tam paucis, quæ expressa sunt, adeò multa, sublimiaq;, de sanctissimo quoq; IOSEPH in Euangelio contineri.

II. In primis, ex maximis, sanctissimisq; Patriarchis ac Regibus, natiuitas eius & origo, tantaq; pariter diuinitùs ei dignitas contributa, vt Saluatoris genealogia per eum describatur, in eoq; concludatur. Quorsum autem Dauidis patris eius nomen tam crebrò cùm ab Euangelistis, tùm ab Angelis ei apponitur, nisi vt spectatissima eius cum regia nobilitate nobis sanctitas commendetur, illustriorq; ac celebrior apud omnes, quibus rex Dauid est notus, reddatur. Hinc noster D. Bernardus Hom. 2, *supermissus est*, vbi S. IOSEPH laudes interserit: *Huc accedit*, (inquit,) *quod dicitur fuisse de domo Dauid, Verè enim de domo Dauid, verè de regiâ stirpe descendit vir iste IOSEPH, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, nec degenerans à patre suo Dauid: Prorsus* (inquam) *filius Dauid non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione, quem tanquam alterum Dauid, Dominus inuenit secundùm cor suum, cui tutò committeret secretissimum atq; sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam alteri Dauid incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo Principum huius sæculi cognouit. Cui demq; datum est, quod multi Reges & Prophetæ cùm vellent videre, non viderunt, audire non audierunt, non solùm videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, & nutrire.* Ita Bernardus.

III. Quid verò in laudum IOSEPH materiâ profundiùs aut sublimiùs dici potuisset, ab Euangelistâ, quàm cùm eum vocat: *Virum MARIÆ, de qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS. Quia*

si vir

si vir est MARIÆ, est & Pater Domini, inquit noster Abbas Rupertus: Et paulò post: *Non solum autem Euangelista IOSEPHVM virum MARIÆ protulit, verùm etiam prior Angelus, quod æquipollens est, MARIAM IOSEPH coniugem enuntiauit. IOSEPH* (inquiens) *noli timere accipere MARIAM Coniugem tuam.* Et continuò: *O coniugium tuum*, ait, *verum & sanctum! O Coniugium cæleste non terrenum! quomodo enim, vel in quo coniugati fuerunt? nimirum in eo, quod vnus Spiritus, & vna fides erat in eis; sola illic desijt corruptio carnis.*

IV. Quin & idem Rupertus adeò hinc S. IOSEPH extollit, vt cùm sacer Iacobus mysterium ad CHRISTI, genealogiam in eo terminatam refert, eum supremum cui Deus innixus videbatur, gradum faciat. *Scala hæc*, inquit, *ista est generatio IESV CHRISTI, & latera scalæ, summi Patres, vel Principes sunt huius generationis, Abraham, atq́ David, ad quos promissio est cum decremento eius, qui repromisit. Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, iste est B. IOSEPH vir MARIÆ, de quâ IESVS, qui vocatur CHRISTVS, natus est. Quomodo iste Deus & Dominus huic innixus est? vtiq́, tanquam tutori pupillus: quippe qui in hoc mundo sine Patre natus est, ita innixus est huic B IOSEPH, vt esset infantulo isti Pater optimus, vt huius solatio paterno cum Virgine puerperâ sustentarentur.* Hæc Rupertus.

V. Quid igitur & nos vel hinc magnâ probabilitate inferre judicareq; prohibeat, B. IOSEPH sicut loco ac dignitate, ita etiam sanctitate, gloriæq; celsitudine in hac CHRISTI genealogiâ fastigium tenere, vt quis in serie istâ in Abraham plantatâ Patriarcharum, ad cœlum CHRISTVMQ; ipsum, vsque pertingit ab ipsis pariter omnibus vt CHRISTO vicinissimus, vt vir, inquam MARIÆ, Saluatorisque filij eius nutricis ac Pater, suspiciatur eorumque cultum atque sumitas prædicetur? Ita planè, non est qui indignetur, non est qui contradicat, vota sunt hinc, communia, vt vir MARIÆ, vt Saluatoris Pater, Patriarchum fastigium vertexque habendus sit ac prædicandus B. IOSEPH.

VI. Porrò justum vocat Matthæus IOSEPHVM, non ob vnam illam virtutem, quæ auaritiæ contraria est, & reddit vnicuique quod suum est, sed ob absolutam omnibus numeris probitatem, siue & virtutum omnium perfectam in eo complexionem. Si autem ita justus, probus ita perfectus *S.* IOSEPH fuit: Si ab omnis virtutis absolutâ perfe-

perfectione, ita vniuersim eum laudat, laudandumquu proponit Spiritus sanctus: ad laudum eius cumulum, quid vlterius inquiri, quiduè dici ampliùs, aut desiderari possit? Hinc superexcelsa continuò, completæ huius in omni virtute justitiæ congrua præmia, diuinaque solatia: Vt Angelicâ apparitione mox fruatur ac honoretur, vt filius Dauidis ab Angelo nominetur, vt de incarnationis filij Dei toto mysterio instruatur, vt Deipara Virgo Angelorum hominumque Regina intimiùs ei commendetur. Ac denique vt augustissimum diuinissimumque nomen IESV ei reueletur, suoque tempore imponendum committatur. Sic enim, *IOSEPH fili David*, inquit ei apparens Angelus, *noli timere accipere MARIAM Coniugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quid his alloquijs, solatijs, & præmijs suauiùs, augustiùs mirabilius? Cui enim Patriarcherum, Prophetarum, Apostolorum, aut Angelorum etiam, talia vnquam dicta, vel commissa sunt.

VII. Fuit itaq; IOSEPH, velut Patrinus de cælo nominatus, vt ei in circumcisionis Sacramento nomen IESV imponeret, quòdq; (juxta non paucorum saltem sententiam) circumcisionis ipsius minister extiterit. Nam & primum parentem nostrum, inde quòd animantibus omnibus, juxta eorum naturas, proprietatesq; nomina imposuerit, æstimatum nouimus & Dominus ipse, quòd stellis omnibus nomina vocet, sapientiam ac potestatem suam, Psalmistæ voce nobis inde proponit. Verùm, animantibus, stellisq; omnibus, quantò eorum conditor, cui IOSEPH nomen imponit, excelsior? quantoq; nominibus eorum vniuersis, inter omnia etiam Dei nomina nobilissimum nomen IESV augustius, coram quo sese inflectit, ac in genua procumbit omnis Spiritus?

VIII. Præordinauerat insuper Dominus ab æterno Sanctum IOSEPH, ad virgineum hoc cælesteq; conjugium, vt & Virginis Matris Conjux, & filij eius Virginum Sponsi nutritius esset. Hanc igitur etiam ei, vt Virgo semper permaneret, gratiam Deum contulisse omninò credendum est. Hinc & omnem concupiscentiæ motum extinctum fuisse, vt cum sanctissimâ pulcherrimâq; diuinâ hac Virgine, absq; omni impuritatis tentatione habitaret, asserit Gerson Cancella-

rius Parisiensis; nec desunt, qui eum quoq; instar Ioannis Baptistæ in vtero matris sanctificatum fuisse credendum velint.

IX. Apostolica tandem doctrina est, mercedem vnumquemq; recepturum secundùm proprium laborem: attentis videlicet, vt Theologi docunt, objecti laborum dignitate, charitatisq; proportione. Cùm itaq; & IOSEPHI labores quàm maximos, & objecti eorum, Deiparæ nimirum, Filijq; Dei dignitatem incomparabilem: neq; imparem vtiq; charitatem eius agnoscamus: quid superest, nisi vt gloriam eius in cælis quàm maximam, celsissimamq; credamus; ac in terris pariter tot tantisque istis debitâ gratitudine titulis suspiciamus ac celebremus?

X. Portauit Saluatorem IOSEPH in manibus suis, scapulisque suis obumbrauit ei: Coronauit igitur manibus suis Saluator IOSEPHVM, & stolâ gloriæ suæ sibi vicinum circumtexit eum. Consignauit Spiritus sanctus sponsam suam, filiumq; eius de se conceptum, IOSEPHO. Consecratur igitur & nunc in vicino gloriæ throno MARIÆ, Filioq; eius IOSEPH. Fuit S. IOSEPH Deiparæ, Filij q; eius, corde & opere, totâ vitâ passionum socius: est igitur & nunc consolationis ac gloriæ eorum eminenter consors in cælis.

XI. Expressit in se quàm perfectissimè B. IOSEPH Abrahæ fidem atq; obedientiam, cæterasq; Patriarcharum aliorum eminentes virtutes. Euexit igitur eum Deus ad gloriam magnam, magisq; semper magnificabit nomen eius: & benedicet benedicentibus ei, eruntq; benedicti: & maledicet maledicentibus ei, nec suæ tantæ impietatis maledictionem effugient.

XII. Benedixerunt S. IOSEPH Deus ipse & Angeli de cælo, Deipara Virgo, sacriq; Euangelistæ, & nobis ei benedicendi exemplum materiamq; maximam præbuerunt. Benedixerunt illi, eumq; contra inimicorum maledictiones propugnarunt Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, alij Ecclesiæ Patres ac Doctores; Theresia Virgo, alijq; præcipuâ pietate ac sanctitate fulgentes personæ, & benedictionum diuinarum amplam copiam consequi meruerunt.

XIII. Insuper ita benedixit ei Deus, vt in gentem magnam fecerit eum Christianorum videlicet non paruâ ratione Patriarcham & totius Eccesiæ CHRISTI communem protectorem, ac patronum. Norunt hæc req; ipsâ patratis diuinitùs non in frequentibus miraculis didice-

didicerant B. Mater Theresia aliæq; quàm plurimæ illi deuotæ personæ; Nouit inter alios grauissimus Pater Benedictinus Monasterij B. Virg. montis Serrati, qui, vt refert Magister Gratianus Carmelita, cum F. IOSEPH deuotissimus esset, mysterium illud & labores, quæ cùm CHRISTTO Domino & Deiparà in fugà in Ægyptum pertulit, frequenter meditabatur, quem die quadam, in Monasterium suum redeuntem, cùm in deserto quodam monte feris truculentis & grassantibus hominibus pleno, rectâ itineris viâ amissâ, obscura nox oppressisset, occurrit ei quidam homo jumentum agitans, cui Mulier pulcherrima pauulum gestans in brachijs insidebat, à quo religiosus ille rectam itineris viam edoceri postulauit: cui homo ille respondit, vt ambo simul pergerent, seq; probè iter illud nosse: & ecce cùm de rebus diuinis colloquiũ miscuissent, Monachus cor suum præ nimiâ dulcedine, deuotione & suauitate veluti discipuli illi, qui in Emmaus cum Domino euntes fabulabantur, intus ardere sensit, cumq; propè oppidum, quo redebat, peruenissent, homo ille cum Muliere pulcherrimâ, speciosoq; præ filijs hominum puero disparuit, & deuotissimus ille religiosus quasi à somno excitatus ad seq; reuersus: nunc scio verè (inquiebat) sanctissimum IOSEPH B. V. sponsam eius, & puerum IESVM, qui est via, Veritas & vita, mihi adfuisse, & viæ socios, consolatores & ductores extitisse, &c.

XIV. Agnouerunt & duo illi Franciscani religiosi, de quorum erga B. IOSEPH deuotione idem M. Gratianus ibidem, qui cùm Flandriam versus nauigarent, & naui cum multis hominibus demersâ, ipsi tabellâ quadam arreptâ tribus integris diebus & noctibus S. Ioseph implorantes super maris vndas fluctuassent, die tertiâ super eadem tabellâ in medio eorum juuenis eleganti formâ aspectuq; decorus apparuit, qui & dulciter & affabiliter eos salutauit, jam, jamq; viribus quasi deficientes bono animo esse jussit, ac de præsenti periculo liberauit, & ad eorum cum multâ gratiarum actione interpellationem, placido vultu se esse S. IOSEPH, respondit.

XV. Et Isolanus; Didicimus, inquit, à quopiam viro venerabili in inclytâ Venetorum Vrbe Italiæ nobilem virum quempiam consuetum per singulos dies ante Imaginem S. IOSEPH in Ecclesiæ nonnullius pariete pictam genua flectere, sanctumque IOSEPH precibus venerans; post longiùs obseruatam corde sincero & nobili talium

precum consuetudinem lecto decubuit grauimorbo oppressus. Hic vidit vigilans sanis oculis sanaque mente S. IOSEPH instar præfatæ imaginis cubiculum suum intrantem. Quo viso mirâ contritione suorum criminum affectus est. Illicò autem euocato confessore Sacerdote confessionem suorum criminum more Catholico peregit, sicque obdormiuit in Domino in præsentia S. IOSEPH ad superos, vt piè creditur, inuitatus. Sic ille.

XVI. Certè recens est inter cætera, quod vir nobilis de *Hem* Dominus de *Miny* Audomaropoli sub initium mensis Maij anni 1620. moribundus aperuit Patri Capucino alijsque ei assistentibus conspectos sibi in morbi grauitate B. Virginem & B. IOSEPH cum S. Francisco diem horamque mortis siue ad tres dies sibi cum salutis indicio præinnotuisse, eamque cælestem diei & horæ mortis eius præmonitionem ita comprobatam à se fuisse dictus pater & quidam alij testati sunt, cuius etiam testimonij certam copiam ipse excepi, inquit D. Matthias Naueus.

XVII. Honoratum voluit Saluator nutritium suum hisce variorum beneficiorum & alijs eiusmodi plurimis spectabilibus miraculis, vt multiformem eius ad specialia multa præfata, imo & omniformem ad omnis generis subsidia nostra potestatem magis magisque semper mundo propalaret.




EMBLE-

EMBLEMA VI. & vltimum.
S. IOSEPH peculiaris Patronus S. Thereſiæ.



Dum rigat Heſperio Carmelum fonte Tereſa,
Germina IOSEPHO læta juuante virent.
Hâc juga debuerant ſacri reuireſcere Montis,
Sub quâ flos campi creuerat antè manu.



CAPVT XI.

B. IOSEPH erga S. THERESIAM particularia beneficia.

I.

TEstatur Angelicus Doctor B. Thomas: *Quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut S. Antonio ad ignem*, at sanctissimo IOSEPH in omni necessitate & negotio concessum est opitulari, & omnes ad se piè confugientes defendere, fouere & paterno affectu prosequi. Et hoc ipsum est, quod expressè atque ex professo de ipso testatur, experta quidem loquens ab ipsaque Virgine Deiparâ interdum edocta B. Mater Teresia.

Qui igitur aliquid à Deo vult obtinere, accipiat B. IOSEPH pro aduocato ante Virginem benedictam Sponsam suam, & Dominum IESVM apud Patrem cælestem, & omnia impetrabit. Vt per IOSEPH scilicet accedatur ad MARIAM conjugem eius, ac per MARIAM ad CHRISTVM eius filium, qui Deum Patrem suum ad eum rogatum, efficacem pro nobis interpellet. Vt ostendat inquam B. IOSEPH callos & dura, MARIA pectus & vbera, CHRRISTVS Deo Patri latus & vulnera, quò repulsa esse non possit, vbi charitatis, pietatis ac justitiæ tanta sunt insignia. Nam & in terris & in hâc ipsa Virginis interpellatione per ipsam & cum ipsâ Virgine CHRISTVM Dominum B. IOSEPH rogabat. Mouebit nimirum Virginem charissimi jus pietasque conjugij, mouebit filium amantissimorum maximeque meritorum supplex parentum auctoritas, & pro suâ reuerentiâ exaudietur à Patre Filius.

II. Extant horum omnium testimonia exemplaque non pauca apud Scriptores. Verùm vnam pro mille testem horum appello magnam illam Matrem Theresiam Carmelitanæ Religionis ad normam vitamque in terris Angelicam reductricem. Quoties Virgo hæc admiranda, parensque amplissima, in instituti suis primarijs & progressibus, in mortis periculis, necessitatibus, difficultatibusque omnibus ei vbi aliquando res desperata videbatur, huius sancti Patroni sui opem, directionem, consolationem, aliumq; opportunum fauorem omnem experta

experta est? quoties, quibusq; animi guadijs, modo etiam cum CHRISTO Domino, cælestibus apparitionibus gauisa? vt hæc & similia multa historiæ vitæ ipsius sextum, trigesimum tertium, & alia quæ fusiùs legi possunt, capita testantur. Ipsa etiam eodem cum illo sexto protestante non recordari se, quidquam quòd non obtinuit, ab eo vnquam petijsse, ac rursum ibidem.

III. *Mirabile est*, inquit, *quot quantisq; gratiarum ac subsidiorum beneficijs per hunc Sanctum me Deus dignatus sit, ex quantisq; cùm animæ, tum corporis periculis eripuerit. Videntur Sanctis alijs ad particularia beneficia gratiæ speciales collatæ, at S. IOSEPH, vt ipsa in me, alijsq; multis deuotis es personis experta loquor, ad cuiusuis generis auxilia efficaciter videtur inuocari. Vt indicare velle*, inquit, *Dominus videatur, se quemadmodum in terris ei subditus fuit, ita & in cælis ad nutum in omnibus ei condescendere, vt sicut à Domino ipso, ita & à mortalibus omnibus propter ipsum vbiq; honoretur.*

IV. Quid? quod beata ipsa Virgo Deipara ei interdum cum ipso apparens, indicarit eius honorem magnopere sibi placere, vehementerq; sibi commenoatum esse? Ampliùs, quod CHRISTS ipse Dominus, vt primum instituti sui Monasterium eius nomine nuncuparet, ei aliquando intimarit, atq; vt eius honorem per se, suosque quantùm posset, amplificare studeret, iniuuxerit. Vnde & factum, vt ipsa non grata minùs atque obediens, quàm ei deuota, è sedecim Monasterijs, quæ viuens extruenda curauit, tredecim eodem S. IOSEPH nomine insignita, consecrata, munitaque voluerit. Hinc & ipsius Matris sanctissimæ, suorumque in potentissimum æquè ac benignissimum Patronum hunc suum, tantus affectus, zelusque vt eorum votis, præconijs, ministerijs, morè vbique mundo vniuerso, magis magisque celebrari pergat. Vt quantùm aliquando apud mundi amatores contemptus fuit, tantùm nunc laudum eius multiplicatâ celebritate magnificetur.

V. *Accepi*, inquit prædicta S. Theresia, *pro aduocato & Magistro gloriosum sanctum IOSEPH, & precibus eius valde me commendaui, clarè cognoui quòd sanctus iste Pater & Dominus meus extraxerit me, cùm ex necessitate istâ, tum ex alijs maioribus circa honorem & jacturam animæ periculis, ideoq; maiori meo bono, quam eum rogare sciuissem. Non memini, rem me vllam vsq; modo eum rogasse, quam non adimpleuerit. Mirum est, quàm magnis gratijs per sanctum hunc Deus me affecerit, & è quantis cum corporis, tum animæ periculis eripuerit.*

VI. Con-

VI. Conforme eſt, quod ex eius teſtimonio memorat Ribera, vbi agens de perfectiore eius conuerſione & principijs eius & motiuis. *Accepit.* ait, *has omnes gratias, aliasq́; ſimiles per intercesſionem Dominæ noſtræ, & beati S. IOSEPH. Et CHRISTVS Dominus, in reuelatione quadam ita illi indicauit, quam manu propriâ in chartâ ſeparatâ ſcriptam reliquit his verbis: Intellexi valdè me obligatam ſeruitio Dominæ noſtræ & S. IOSEPH, quia cùm frequenter omninò infirmarer, per eorum preces ſanitatem mihi Deus reddebat.*

VII. Proſequitur ipſa: Die aſſumptionis Dominæ noſtræ in Monaſterio vno Ordinis glorioſi S. Dominici conſiderabam numerum peccatorum, quæ alias in eâ domo confeſſa fueram, malæque vitæ meæ decurſum, cum magnus mihi raptus, quo fere extrà me poſita ſum, contigit: ita vt conſederim; immo mihi videor non potuiſſe videre & audire Miſſam: adeò vt ſcrupulus, de eo poſteà mihi fuerit. Et cùm ſic eſſem, viſa ſum mihi videre magni me candoris magnæque claritatis veſte indui. Et principio non videbam quis eſſet, qui me veſtiebat, & deinde vidi verſus dexteram Dominam noſtram, & verſus læuam, Patrem meum S. IOSEPH, qui tunicâ illâ me veſtiebant: & datum eſt mihi intelligere quòd jam à peccatis meis munda eſſem Et veſtitione perfectâ cum maximâ gloriâ & voluptate, videtur mihi B. Virgo manus meas continuò apprehendiſſe dixiſſeque magnopere me eam delectare ſeruiendo glorioſo S. IOSEPH, vtque crederem id quod de Monaſterio prætendebam, perficiendum, quodq́; in eo Monaſterio multùm Domino noſtro ipſiſque duobus ſeruiretur, atque vt non timorem hoc vnquam diſſoluendum, quamuis obedientia quam reddebam ſecundùm guſtum meum non eſſet, quia nos cuſtodituri erant, & quoniam filius eius ſe nobis adfuturum jam promiſerat. Et quod in talis ſucceſſus huius rei ſignum ipſa mihi iſtud iocale dabat. Et mihi collo meo torquem impoſuiſſe videbatur auri pulcherrimi, in cuius extremitate crux erat valoris maximi. Aurum iſtud & gemmæ iſtæ tantùm ab hiſce quæ apud nos ſunt, differunt, vt non ſit comparatio, quia pulchritudo eorum militum differt ab eo quod hic imaginari poſſumus. Neque intellectus aſſequi poteſt, ex quo toga iſta eſſet, neque candorem quem Dominus nobis vult repræſentatum, imaginari: ita vt quidquid infra hic eſt, pictum tantùm carbonis, juxta modum

modum loquendi, mihi videatur. Pulchritudo quam vidi in Dominâ nostrâ, quamuis nullam figurarum in particulari, mente retinerem, *sed totum simul ad modum faciei*; albo vestita erat maximo cum splendore, qui oculos non offendebat, sed qui maximè suauis & gratiosus erat. Non tam clarè vidi gloriosum S. IOSEPH, quanquam viderim quod esset in formâ visionum quas dixi, quæ non videntur. Cum Domina nostra sic mecum esset, mihi admodùm juuenis videbatur, & ego maximâ cum gloriâ & gaudio, imò maximo quod vnquam habuerim: & voluissem nunquam inde recedere. Videtur mihi eos in cælum magnâ cum Angelorum multitudine ascendentes videre, & mansi in magnâ solitudine, quamuis adeò consolata, eleuata & in oratione recollecta vt nec me mouere nec loqui possem. Mansi cum tantâ vehementiâ & impetuositate me exinaniendi & consumendi pro Deo. Et totum sic actum est, idq; talibus cum effectibus, vt dubitare nunquam potuerim licet ad hoc niterer, quin res hæc à Deo esset.

VIII. In libro fundationum Sororum Carmelitanarum per eam conscripto, cap. 1. in quo tractatur quomodo primum Monasterium S. IOSEPH de Auila fundatum fuerit, ita inter cætera de Monasterij huius fundatione, de quâ valde perplexa erat, legitur: *Die quodam post sacram communionem mandauit mihi serio diuina Maiestas sua, vt opus susciperem, totisq; viribus procurarem, magnis me promissis de Monasterio complendo assecurans, quodq; ipsi fideliter in eo seruirem, mihi iniungens, vt nomine S. IOSEPH illud vocarem, qui ad vnam portarum nos custodiret, & Domina nostra ad alteram, & quòd IESVS CHRISTVS in medio nostri foret, quodq; Monasterium istud stella futurum esset, quæ splendorem magnum spargeret.* Et paucis interpositis: *Hæc locutio Domini nostri fuit istiusmodi, & visio ista cum magnis adeò effectis, vt quin ipse esset dubitare non possem.* De quo Monasterio fundando & B. IOSEPH nomine nuncupando agit etiam cap. 32. vitæ suæ. Vbi & CHRISTVM Dominum non semel, sed pluries, cùm difficultates multæ se obijcerent, eâ de re sibi locutum refert. Vnde factum, vt & alia Monasteria omnia, quæ viuens procurauit duobus exceptis, beati IOSEPH nomine insignita voluerit: videlicet Monasterium S. IOSEPH Auilæ in Hispaniâ: Monasterium Medinæ de Campo; Monasterium Malagoniense, Monasterium Toletarum, Monasterium Salmaticense; Monasterium Segeuiense, Monasterium Veasense, Mo-

nasterium Seuillanum, Monasterium Carauaquanum, Monasterium Nouauillanum, Monasterium Paiencianum, Monasterium Burgosianum, Monasterium Granatense.

IX. Quamobrem & post eam juxta eius desiderium & exemplum Carmelitana Monasteria vt plurimùm passimq; , imo & Ordinis Prouinciæ integræ, inter quas Belgica, Patronali eius nomine honorari perseuerant. Nam & in Prologo huius libri fundationum suarum ex obedientiâ ab eâ conscripti. Munus hoc ea scribendi se suscipere ac incipere profitebatur in nomine Domini cum aduocatione in suum auxilium gloriosæ Matris eius & gloriosi Patris sui, ac Domini S. IOSEPH. *Incipio*, inquiebat, *in nomine Domini in auxilium meum aduocans gloriosam Matrem eius, cuius quamuis indigna, habitum gesto, & gloriosum Patrem meum ac Dominum S. IOSEPH, in domo cuius sum.* Ad finem libri de viâ perfectionis, quem cum alijs quatuor libris, qui passim vario idiomate circumferuntur, diuino afflata Spiritu conscripsit, extant saluberrima eius ad suas religiosas Consilia, siue instructiones & admonitiones spitituales inter quas hæc vna sub finem eodem quo præcedentia faciens habetur his verbis: *Quamuis multos Sanctos pro Patronis & Aduocatis habeatis: Particularem tamen erga B. IOSEPH deuotionem habetote, qui à Deo multùm obtinet.*

X. Qui à Deo, inquit, multùm obtinet: vt intelligamus eam non ex particulari tantùm aliquâ ratione vel affectu deuotionem erga B. IOSEPH religiosis suis commendare, quemadmodum speciales Monasteriorum vel Ordinum Patroni vel Benefactores ijs specialiter commendari solent, sed ob patrocinij eius apud Deum maiorem, ampliorem, communioremq; erga omnes, ac specialiùs erga deuoto clientes suos valorem.

XI. In profectione beatæ Matris cum alijs aliquot Sanctimonialibus ad ciuitatem de Veias ad fundandum in eâ præfatum Monasterium sub inuocatione nominis S. IOSEPH magnum illis à B. IOSEPH in viæ præcipitijs directione præstitum est beneficium. Siquidem viâ regiâ penitus amissâ, & ad loca lapidibus complantata manifestis plena periculis inter montium altissima cacumina & vallium ad abyssum veluti descendentium prærupta peruenissent, metuq; grauissimo percellerentur, mox ad S. IOSEPH patrocinium confugiendum B. Mater ju-

ter judicauit, cùm & sine morâ à profundissimâ voragine humana vox quasi viri grandæui audita est, quæ vt ibi sisterent, præcipites alioqui sine dubio omnes perituræ, ingeminauit. Ad huius ergò vocis monitum vlterioremq; directionem si stunt currus Aurigæ, & omnes pariter ad vnam signatam partem, quæ quidem non minùs periculosa apparebat, iter pedetentem arripiunt, & cùm aurigæ post euasum ita miraculosè præcipitium, hominem illum conquirerent nec inuenirent, monet B. Mater deuotione & lachrimarum profluuio perfusa ne frustra fatigentur: erat enim, inquiebat, sanctissimus Pater meus IOSEPH, qui à periculis iminentibus nos liberauit, viam nostram direxit, & in tuto nos collocauit. *Ita P. Didacus de Ypes ex S. Hieron. familia Philippi Secundi Regis à confessionibus, & post Episcopus Tarraconensis lib. 2. cap. 27, Vita S. T.*

XI. Hinc igitur maxima B. IOSEPH cùm apud Deum patrocinandi auctoritas, tum erga pios clientes eius auxiliatrix benignitas abundè innotescit; præsertim cùm & singulares S. Matris gratias eximiamq; puritatem ac sanctitatem cum CHRISTI amore conjunctam, in patronalem eius specialem apud Deum gratiam, particularemq; in eam pro particulari eius in eum deuotione, fauorem ac beneuolentiam referendam ex ipsamet audiamus. Vt non mirum sit, cur tota per eam reformata Carmelitana religio sicut Matris suæ exemplo & præcepto patronum eum speciali deuotione veneratur: ita & in omnibus necessitatibus suis prouisorem ac nutritium suum eum reputet atq; experiatur. Neq; verò dubium quoq; esse potest, quin vicissim quemadmodum beata Virgo eius se honore magnoperè delectari protestata est, ita etiam & ipse erga Virginis Sponsæ suæ deuotos clientes valde ac specialiter afficiatur; adeò vt etiamnum non modò inter sese mutuò, verùm etiam respectu clientum suorum indiuisa maximo affectu conjuncti sint. Vt propterea qui spònsi fauore potitus fuerit, de sponsæ amicitiâ confidere pariter debeat, & qui sponsam patronam habuerit, de sponsi conspirante fauore sibi persuadere possit.


XII. Cæterùm non fuit quidem antiquitùs dies eius in Ecclesiâ solemniter celebratus, propter eos scilicet hæreticos, qui vt notat Vbertinus naturalem eum CHRISTI patrem perhibebant: sed eâ nunc, ratione cessante, juste meritoq; laudes eius solemniter solemniusq; semper celebrari, vt cernimus, vbiq; pergunt, non religiosis

modò aut Ecclesiasticis personis cuiusuis gradus, sed ipsis etiam passim populis, ad eius templa, festaque mirâ pietate ac deuotione confluentibus, atque conspirantibus, adeo vt populorum etiam pars potissima cum Ecclesiasticis pariter, diem eius, debita (vt meritò sibi persuadent) gratitudine, beneficiorumquē eius religiosâ præstolatione, vltrò sanctificant, imò speciali quodam pietatis studio colant ac venerentur. Meritò inquam, justissimeque sibi id persuadentibus omnibus, vt quem conditor ac redemptor noster filiali, vt patrem amantissimum, atque vt sponsum charissimum conjugali Virgo DEIPARA honore & amore prosecuti sunt; speciali etiam ac præcipuo quodam religionis cultu ipsi suscipiant ac celebrandum ducant.

XIII. Atque vtinam beatissima Mater THERESIA, hunc noui luminis & ardoris solem fulgentissimum citiùs nobis enubilasses, hunc nobis contra Herodianas aliasque persecutiones omnes protectorem potentissimum citius commonstrasses, hunc nobis diuini amoris, Angelicæ puritatis, Christianæ mansuetudinis, aliarumque virtutum omnium exemplar præclarissimum citius exhibuisses, vt hunc, inquam, benignissimum, propensissimum, ac potentissimum mortalium in cælis patronum, citiùs nobis proposuisses, vt tanta quæ nunc est, quæque maior semper futura est, sanctitatis ac patrociniorum eius gloria, citiùs lætificati fuissemus.

XIV. Sed illam nimirùm Virgo Angelica, Mater pientissima, CHRISTI amatrix feruentissima, Ecclesiæque eius columna firmissima illam gloriosi honoris prærogatiuam, communisque felicitatis gratiam amplissimam, in tua tibi tempora, nobisque per te omnibus Deus reseruarat, vt eum tibi, familiæque reformationis tuæ, in sanctitatis eius testimonium notamque fulgentissimam, instructorem patronum ac tutelarem daret, ac per te præsertim, tuosque pariter gloriam eius, ampliùs quàm vnquam toto orbe propalaret. Titulus profectò ad mortales omnes tibi de tanto per te huius manifestationis beneficio eis præstito, vehementer obstringendos, vel solu. sufficiens idemque maximus.

Atque vtinam & nos, ita CHRISTI Domini Genitrisque eius hortatu ac jussu, atque Virginis huius sanctissimæ meritis & exemplis, eum honoremus, glorificemus, imitemur, inuocemus, atque omninò colamus, vt apud Dominum ac Filium eius Deum Iudicem nostrum, patronali paternoque eius fauore gaudere atque in Dei gratia vsq; ad contuendam eius gloriam in dies crescere possimus. EPI-



EPILOGVS.

B.IOSEPH benedicunt omnes ſtatus.

BEnedicite itaque IOSEPH & MARIÆ in Domino Virgines, quia virginitatis veſtræ Duces patronique primarij exiſtunt.

Benedicite IOSEPH & MARIÆ continentes caſtique conjuges, quia continentiæ caſtitatiſq; veſtræ eminenens ſpeculum vobis fuerunt.

Benedicite MARIA & IOSEPH Angeli Domini: quia ad ſedium veſtrarum repletionem ſtatrum vobis ac ſororum in terris copiam prouiderunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH Martyres Domini, quia pro CHRISTO laborare patique totâ vitâ ſuâ vobis commonſtrarunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH Doctores Domini: quia CHRISTVM fideiq; eius lumen corde, voce, & opere portare vobis oſtenderunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH Confeſſores Domini, quia vitæ pto CHRISTO munditiam ac ſanctitatem docuerunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH Sacerdotes Domini; quia ſancta ſanctè tractare vos inſtruxerunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH Religioſi Domini: quia obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis veſtræ typum ipſum vobis exhibuerunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH familiarum parentes & rectores; quia ſanctæ paternæ curæ: illuſtre exemplum vobis exhibuerunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH Eccleſia triumPhans Domini: quia triumphi tui auctori in terris adſtiterunt, & in cælis adſiſtunt.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH in purgatorio laborans Eccleſia Domini; quia conſolationis veſtræ præſidium in cælo DEO repræſentant.

Benedicite MARIÆ & IOSEPH militans in terris Eccleſia Domini; quia Saluatorem tuum tibi in terris protexerunt & ſaluarunt.

R. P. Paulus de Barry S. I. in Alimentis pietatis erga S. Ioſephum Cap. 6. valdè commendat Litanias breues à quodam Ord. S. Benedicti ordine Alphabetico conſcriptas.

LITANIÆ
Ad sanctum IOSEPHVM.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
S. Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA Sponsa S. IOSEPH.
S. Ioseph Amator castitatis.
S. Ioseph Beatissime Beatorum.
S. Ioseph Confirmate in gratiâ.
S. Ioseph Decus Sponsorum.
S. Ioseph Exul cum CHRISTO in Ægypto.
S. Ioseph Fili Dauid.
S. Ioseph Gener Ioachim & Annæ.
S. Ioseph Hospes Verbi Incarnati.
S. Ioseph Iustificate in vtro matris.
S. Ioseph Lumen opificum.
S. Ioseph Minister Circumcisionis CHRISTI.
S. Ioseph Nutricie pueri IESV.
S. Ioseph Obiens inter brachia CHRISTI.
S. Ioseph Pater IESV CHRISTI.
S. Ioseph Quærens IESVM in templo.
S. Ioseph Resurgens cum Redemptore.
S. Ioseph Sponse B. Virginis.
S. Ioseph Tutor Filij DEI.
S. Ioseph Virgo Pater.

Ora pro nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Vers. Ora pro nobis S. IOSEPH.
Resp. Vt digni efficiamus promissionibus CHRISTI.

OREMVS.

OREMVS.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuuemur, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

INDEX.

FINIS.